
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

46

N.o 83.



M. Tuscher fecit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

JO

V

G

V

Lit

I

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

JOH. WANDALINI FIL.
SS. Theol. D. & Prof. P.

DE

VATICINII PATRIAR-CHALIS

GEN. XLIX. v. 10.

VERO SENSU ET COMPLEMENTO

DIATRIBA.

HAFNIÆ,

Literis *J. Ph. Bockenhoffer*, Reg. Maj. & Univ. Typogr. Anno 1689.
Proſtat apud *Joh. Melch. Liebe*, Reg. Acad. Bibliopol.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

I

D
C
V
FR

EQ

S
CO
PR
C

D

SA

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

*ILLVSTRISSIMO ET EX-
CELLENTISSIMO*
HEROI
DNO. CONRADO
COMITI DE RE-
VENTLOV, BARONI IN
FRIESENWOLD, DOMINO IN
CLAUSHOLM ET GIE-
SCHENHAGEN,
EQVITI AURATO ORDINIS
ELEPHANTINI,
S. R. M. DAN. ET NORVEG.
CONSILIARIO INTIMO ET
PROVINCIALI, SUMMO RE-
GIÆ VENATIONIS PRÆFE-
CTO, ET CAMERARIO,
DITIONUM HATTERSLEBI-
ENSIS ET GOTTORPIEN-
SIS GUBERNATORI,
SAL. & DEMISSUM OBSEQVIUM.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Illuſtrisſime Heros,

QVòd à Tuo hoc inter omnes ferè ſplendido, inter Nos verò etiam carô Nomine, tanqvam à Numine qvodam tutelari, vel decus aliqvod, vel præſidium huic opuſculo conciliare auſim; id Tuæmet in tanto faſtigio inuſitatæ ergà omnes bonos comitati, ergà Me verò benevolentiæ ſingulari ut adſcribas, ſubmiſſè oro. Qvi enim pro ſummis tuis in Rem noſtram publicam meritis, non lingvas tantùm ſed & literas noſtras, qvæ illius non minima pars ſunt, Tibi vectigales pro pemo-

pemo-

pemodùm reddidiſti, non potes non jure Tuo exſpectare, ut eorum, qvos progignunt ex ſeſe literæ, proventuum inſignis ad TE redundet portio. Exigua qvidem hæc eſt qvam offero, fateor, Autorem ſi reſpicis & conatus humanos; at ſi materiam, qvæ expenditur, grandis illa eſt & ſublimis: de qva meritò dicimus, nullum facilè in Scriptura Textum Propheticum intra tam paucorum cancellos verborum majores occultare divitias, vel qvà ſacras Antiqvitates Eccleſiæ Judaicæ, vel qvà ſpirituales Chriſtianæ delicias. Et vel hinc præcipua mihi fiducia, qvòd ſperem non ingrata hæc futura eſſe Illuſtriſſimæ Tuæ Excellentiæ; cujus inter excelſas animi dotes, in-

 terq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

terq; graviſſimas & aſſiduas pro Rege & patriæ ſalute occupationes, ita vivit & viget ſinceræ Religionis ſtudium, ita, ſi res poſcit, exactè diſtingvitur inter Eccleſiam & Sectam, verum & falſum, ut, qvam alii, non dicam pari ſed & impari gradu conſtituti, præ ſeculi faſtidio deſpiciunt, hanc Tu ſcientiam inter cæteras, qvas poſſides, primam meritò reputare videaris. Dico qvod ſentio, qvod expertus ſum, & mecum alij, qvotqvot rerum Tuarum verborumq; non ignari aut expertes fuere. Deniq; ipſa pietas, qvæ inter hominis ornamenta eſt maximum, in principe autem Viro inter alias virtutes, velut Sol inter minora ſidera, enitet, ita Tibi propria ferè eſt & familiaris,

ut

ut exiſtimeris (Auſonii verbis ad Gratian. Imperator. utor) *nullum unqvam diem ab adoleſcentia Tua, niſi adorato DEI Numine, & reum voti & illicò abſolutum, egiſſe; lautis manibus, mente pura, immaculabili conſcientia, &, qvod in paucis eſt, cogitatione ſincera.* Hæc illa præcipua ars fuit, qvâ Te AUGUSTO noſtro, qvi optimum qvemq; fideliſſimum putat, præ primis carum reddidiſti. Hic ille eſt genius, qvô, cùm ſis Regi ſummè fidus & rerum noſtrarum hominumq; qvàm maximè peritus, non niſi ſalutaria ſuggeris, ſive pace, ſive bellô: qvippe cui probè notum eſt illud Sapientiſſimi Regis oraculum: *cogitationes piorum ſunt juſtæ*, ſive ſalutares, *improborum verò conſilia*, qvamvis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

vis *acuta, merus dolus*, Prov. XII. 5. Accedit ille ſingularis amor literarum, qvas non in aliis modò ſuſpicis, ſed & penes Te ipſum cumulatiſſimè ſervas & auges; ut vel Tuô laudatiſſimo exemplo pateat, nullam in mundo eſſe poſſe tam ſplendidam fortunam, qvam literarum non augeat glorioſa notitia: *in qvibus* ſcil. *& prudens invenit, unde ſapientior fiat, & Bellator repererit, unde animi virtute roboretur, &, qvi Rempubl. adminiſtrat, accipit, qvemadmodum populos ſub æqvalitate componat*: uti verè dixit Caſſiodorus *Var. Epiſt. Lib. X. Epiſt.* 3. Adulari certè non eſt meum; plebejum illud ſtudium magnarum ſæpè corrupit laudum veritatem. At teſtes provoco publicos, ipſum He-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Helicona noſtrum, divinioribus Muſis ſacrum, qvem Illuſtriſſima Tua præſentia toties non dicam exornavit, ſed ſe ipſo nitidiorem effecit; ipſam qvoq;, qvantacunq; eſt, Aoniam gentem, qvam vultus & oris Tui gratioſiſſimi, velut ſplendidi ſyderis, aſpectus non tantùm ad magnos in literis conatus præſentiſſimè animavit, ſed & in Tui admirationem & præconia facilem traxit. Uno ut dicam verbo: ſat diu factum eſt, qvòd tota penè literatorum hominum familia vix aliam ob cauſam ſe pullis veſtibus atratam incedere profeſſa ſit, qvàm qvòd exſtinctos ferè ubiq; lugeret Mecænates. Tuô autem, Illuſtriſſime Heros, ſi cujusqvam alterius, præcipuè favore no-

vos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

vos nunc Eadem habitus induit, nova gaudia & fere novam vitam concipit. Ut mirum non videatur, qvòd Ego, qvi ejus aliqva ſum pars, illas, qvas ſinguli Tibi debent, gratias, & publica omnium vota, pro Tua totiusq; Illuſtriſſimæ familiæ incolumitate ac flore perenni, per hocce officij genus teſtari, Teq;, ut noſtrarum grande decus & columen rerum, hac velut clientela agnoſcere voluerim

Illuſtriſſimi Nominis Tui

Obſeqventiſſimus Cultor

JOH. WANDALINUS D.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Lectori Benevolo Salutem.

SEptennium ferè eſt, ex qvo nobiliſſimam materiam, de Vaticiniorum & Typorum V.T. pulcerrimo concentu cum N.T. doctrina de officiis & perſona Salvatoris Chriſti, in cathedra Theologica auſpicabar; iamq́; per DEI gratiam, in ejus expoſitione non pænitendos vel Auditoribus vel mihi ipſi progreſſus feceram; cùm ecce operis continuatio, propter innatam gravitatem, quæq́; inde naſcitur, in tradendo prolixitatem, in percipiendo verò a Diſcipulis difficultatem, privatis potiùs lucubrationibus, qvam puplicis prælectionibus ſe commendaret. Inter alia & præcipua Prophetarum de Chriſto oracula, cùm maximi apud me penſi eſſet illud Patriarchæ de Schiloh, atq; animadverterem, in hôc res tantas tam pau-

paucis verbis contineri, ut iis juſtâ operâ expendendis non tam par eſſet mea induſtria, qvàm impar excipientium vel profectus vel patientia: ſtatui illud, poſtqvam de eô nonnulla publicè tradita eſſent, ad exactiorem trutinam, pro mea qvidem mediocritate, revocare, tum ut prodeſſem aliis, tum vel maximè ut mihi ipſi ſatisfacerem. Qvamvis enim multorum hæc res fatigaverit ingenia, & ante nos tum copioſè tum ſolicitè alii præſtantiſſimi Interpretes occupati fuerint in ejus vero ſenſu declarando; non tamen iidem omninò effecerunt, ut non aliqvod nobis, & qvidem amplum, relictum fuerit ſpicilegium. Accedit, qvòd non omnibus una mens aut hypotheſis fuerit, ita ut hic fervidè decertantes videas cum Baronio ejusq; aſſeclis Jos. Scaligerum & Is. Caſaubonum; cum his iterum Cunæum & Abr. Scultetum: ut alia taceam diſſidia inter primos Eccleſiæ Chri-

ſtianæ

ſtianæ, & poſteriores Reformatæ Docto-
res: inter qvos nonnulli pro ſuo, qvô quisq;
fuit animatus, genio, vel, ut veriùs di-
cam, occupatus præjudicio, ita antiqviſſi-
mum hoc & ponderoſiſſimum Vaticinium
fœdè lacerarunt, ita miſerè contorſerunt, ut
multa agendô nihil ferè rectè egiſſe vide-
antur. Qvapropter, ut ſua illi Majeſtas
& ſua nativa lux in animis noſtris conſta-
re dignè poſſit, operæ pretium duxi, non-
nullam temporis mei partem, qvod totum
ſacratioribus ſtudiis debetur, inſumere per-
veſtigandis, qvæ huc pertinent, Eccleſiæ
& Reip. Veteris Judaicæ antiqvitatibus,
conferendis Interpretum ſententiis, &, qvod
maximè factô opus, indagandô ex Scriptu-
ra reliqva & ex ſerie Hiſtoriæ Sacræ atq;
harmonia aliorum huc tendentium Vatici-
niorum, hujus, qvod tractamus, dicti Jaco-
bæi ſenſui genuino. Certè vel id ſingulariter
hac noſtra opera effeciſſe nobis videmur, ut,
cum

cùm alii præcipuè expenderint, qvid ſecundùm hanc prophetiam fieri ſuo tempore oportuit, Nos etiam, qvid heic factum ſit & qvo ordine ac modô, ſecundùm ſingula illuſtris vaticinii momenta, declaraverimus. Qvæ res præcipuè divinæ laudem veracitatis in ſervandis exactiſſimè promiſſis, imò providentiæ Ejus, circa minimas qvoq; rei prædictæ circumſtantias, curam infallibilem manifeſtat. Qvandoqvidem, ante natales Meſſiæ, inter tot Regni ac Reip. Judæorum tamq; decretoria fata, ſub qvibus omnis penè Gentis libertas & αὐτονομία, omnisq; Principum indigenarũ Majeſtas toties concidiſſe videbatur, nondum tamen ultimus dies illuxerat, qvô Schiloh Liberator, tam certò promiſſus & anxiè exſpectatus, inter pereuntis rudera Hieroſolymæ & Eccleſ. Judaicæ denaſcentis reliqvias novũ Regnum conderet, cujus terminis neq; hoc ævum neq; hic orbis ſufficeret. Steterunt etenim immota

æterni

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

æterni Numinis conſilia, qvæ tantæ felicitati aptiſſimum tempus deſtinaverant; ante qvod neq; Sceptrum Judah planè confringi debuit, neq; Urbs funditus everti, diruive ejus ſummum decus Ædes ſecunda, neq; deleri in Gentilium animis, qvantumvis hoſtilibus, Sacrorum iſtorum veneratio, neq; exigi omninò ſuis finibus iſte populus aut cedere in ludibrium ſuis Victoribus; qvibus ſæpè victi jura dederunt. Qvæ qvidem ſingula ipſorum Gentilium teſtimoniis extra dubium poſuimus. Hoc autem eſt, qvod dicimus meditationum noſtrarum ſcopum fuiſſe, ut illud temporis πλήρωμα, de qvo Gal. IV. 4. illum מועד ſ. conſtituti temporis terminum Hab. II. 3. inveſtigaremus, ad qvem, licèt cunctaretur, certiſſimè eventura eſſet divina promiſſio, fallere neſcia. In qvo qvidem, cum variæ à Viris doctis motæ antehac difficultates non parum Nos impedierint, ſæpè etiam ſuſpenſos tenuerint; an ad metam pervenerimus, uti certò ſperamus, non cuivis, ſed candido & ſimul erudito Lectori judicandum reliqvimus.

AP-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

APPROBATIO.

Illuſtre eſt oraculum Divi Patriarchæ, &, judice Apollonió Scotto apud Cunæum, *vix aliud in toto Codice Sacro magis ſolicitatum ab Eruditis & minùs intellectum.* Dignum hoc exiſtimavit Nobiliſſimus *Wandalinus* noſter, in qvo, poſt tot delectos literarum Heroas, ſuas qvoq; exerceret præclari ingenii vires. Et, ſi rem ex æqvo æſtimamus, ita qvoq; in hac Diatribe exercuit, ut vix ſuperſit amplius, qvô vel Judæus ſe excuſet, vel tueri Judaizans poſſit. Adeò omnia, qvoad mentem annoſi Vatis & complementum illuſtris vaticinii, ſolidè hìc ac feliciter perſecutus eſt, penè ut omnibus poſthac otium feciſſe videatur. Sic cenſeo

J. BAGGERUS D.

VA-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

VATICINII JACOBÆI GENES. XLIX. 10. *Genuina Expoſitio.*

SECTIO I.

Argumentum.

Clariſſima de Chriſto Prophetia, infinitis παρερμηνείαις obnoxia. Declaratur verbum סור. *Vox* שבט *omnium ferè Lingvarum, πολύσημος, ſignum majeſtatis. Cur de Tribu dicitur? Notatur Brougthonus. Tribus non confuſæ ante Chriſtum. An nomen* Jehudah *omnibus Iſraëlitis commune? Caſauboni opinio refellitur. Diſtinctio inter Judæos & eorum proſelytos. An ſceptrum hoc Judæ datum inde à tem-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

poribus Moſis? Euſebius ſic ſentiens caſtigatur. Nec Judæi appellati omnes Abramidæ : ſed tantùm qvi Regno Judæ poſt ſchiſma Tribuum adhærebant. Qvid מחוקק *ſit? Differt* νομοθέτης *à* νομοδιδασκάλω. *Prius ſignificatum* τῷ מחוקק *convenit. De Synedrio Jud. ejusq; membris & poteſtate. Qvid ſit,* non recedere à pedibus Judah? *An carnalis ſucceſſio Legislatorum, ut qvidam volunt? Maxima pars Synedrii Sacerdotes & Levitæ. Qvid* Ἀρχιερεῖς *in Evangelio? De Anna & Cajapha. An bini Pontifices Summi? Illud* à pedibus Juda *de terminis ejus Regni intelligendum. Explicatur dictum Talmudicum de Synedrio in finibus Judah, & ſanctuario in finibus Benjamin. Hieroſolyma* δίμερος. *Triplex expoſitio vocum* מבין רגליו. *An huc faciat vetus diſcipulorum mos ſedendi ad*

pedes

pedes *Magiſtrorum? Illuſtratur locus Deut.* XXXIII. 3. Sedere ad pedes *ſubordinationem politicam infert. Diſpunguntur corruptelæ Rabbinicæ in particulis* עד כי. *Earum vera ſignificatio. An verb.* בוא *occaſum notet? De appellativo* שילה, *& verſione LXX-virali. Expenduntur interpretamenta Veterum. Cur Hieronymus* mittendum *reddidit? Integritas fontium propugnatur. Benè* שילה filium ejus *reddunt nonnulli: ubi ſimul agitur de plagio Galatini. Optimè* pacificus, tranqvillus *vertitur. An Servator & Salvator idem? Nulla qvoad rem & ſenſum verſionum diſcrepantia.* יקהת *an* obedientia, exſpectatio *vel* aggregatio? *Formalis ſignificatio* obedientia. *Qvid* עמים? *an Judæi? an verò etiam Gentiles? Poſterius ex harmonia Prophetharum, ipſoq; complemento oſtenditur.*

1. Evidentiorem adventus Meſſiæ notam adverſus incredulos Judæos vix aliunde producere poſſum9, qvàm ex ultimis verbis Patriarchæ Jacobi Gen. XLIX. 10. qvibus ille, cum finem dierum ſuorum inſtare animadverteret, poſtremum vale dicturus familiæ, non tantùm ſingulis ſua fata Filiis, ſed in primis exſpectandam ultimis ſeculis felicitatem & ſalutem per Meſſiam Regem ex Tribu Juda oriundum, qvem ipſe dudum & tum maximè fideli animo & ſpe complexus erat, prophetico planè Spiritu prædixit, & ex temporis iſtius ſtatu evidentiſſimè determinavit. Qvippe tum affuturum Meſſiam, qvem *Schiloh* nuncupavit, cum inter Judæos neq; Rex indigena, neq; poteſtas ulla ſupereminens, qvæ ſui juris eſſet, ultra locum haberet. Sic enim verba ipſius fluunt: *Non recedet Sceptrum à Judah, & Legislator à medio pedum ejus, usqvedum venerit Schiloh, & illi* (vel cui) *obedientia populorum* erit, vel debetur. Certè hic Textus magni ſemper momenti fuit, non minus ad arguendos de incredulitate ſua Judæos, qvi nondum veniſſe Meſſiam clamitant, qvàm ad

ad ſtabiliendos in fide Chriſtanos, qvi talẽ adveniſſe, qvalis à Prophetis venturus deſcribitur, ſolius DEI beneficio per Evangelium didicerunt creduntq;. Ideoq; mirari non licèt, qvî Prophetia tam illuſtris ſuaq; met luce radians tot ſit nebulis involuta, tum per ψευδερμηνείας Judæorum, tum per Interpretum multorum inter Chriſtianos diverſas παρερμηνείας; cum pro certo habendum ſit, non de aliis Scripturæ locis magis ſolicitum eſſe veritatis hoſtem, eorum ut veram ſententiam hominibus vel excutiat vel obſcuret, qvàm de iis, in qvibus potiſſima latet veritatis & conſolationis materia, & pro fide argumenta ſolidiſſima habentur. Ut non ignavam inutilemve operam in hoc collocaſſe videamur, ſi poſt tot Doctorum hominum lucubrationes & ſtudia, verum antiqviſſimi hujus Vaticinii ſenſum altiùs indagantes, primò ſingula ejus membra & voces ſingulas accuratiore κρίσει expenderimus, & deinde, qvid ex ſingulis ità declaratis ad veræ ſententiæ confirmationem accedere poſſit, tantò liqvidiùs, qvantò major res agitur, cognoſcendum propoſuerimus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

2. In primo itaq; Textus membro, (לא יסור שבט מיהודה) primùm de verbo יסור obſervamus, qvòd, licèt id diverſimode reddiderint tot Interpretes, in eo tamen ferè omnes conveniant, dum ad ejus ſignificationem exprimendam verbis utuntur defectum aliqvem, ſive rei antea præſentis habitæq; vel poſſeſſæ jacturam importantibus. Ut enim hìc non opus ſit de ſecundariis ejus verbi & metaphoricis ſignificatis aliqvid annotare, ſicuti Hoſ. IV. 18. de vino uſurpatur, qvando in vappam reſolvitur, qvod obſervat Diodatus *in Pſ. XIV. 3.* item de rebellione & apoſtaſia aliis in locis præſertim apud Danielem; certè generaliter, formaliter & πρώτως ſenſû habet *recedendi*, vel *diſcedendi*, *divertendi*, *declinandi*, &c. ut patet ex Concordantiis. Sive igitur cum Onkeloſo qvis exponit, לָא־יְעַדֵּי *non auferetur*, qvem ſeqvitur Lutherus, es ſoll nicht entwendet werden; ſive cum Vulgato, *non recedet*, cui conſonat Piſcator, es ſoll nicht weichen / & vernacula verſ. der ſkal icke vige; ſive cum LXX. Senibus, οὐκ ἐκλείψει, *non deficiet*, qvibus

adhæſit Paraphraſtes Hieroſolymit: לא פסקין *non deficient*, ſc. מלכין מדבית יהודה *Reges ex domo Judah*: una eademq; res eſt, idem ſenſus, non planè, ut ut maximâ parte, ceſſaturum Regimen politicum & Hierarchicum in gente Judæa, poſtqvam ejus eſſe cæpit, niſi qvo tempore Rex Meſſias conſpiciendum ſe in carne humana præberet, & tum primò finem omni ex parte habiturum. Qvod eqvidem voluiſſe ſanctiſſimum Senem totus verborum ſeqventium contextus comprobabit.

3. Seqventem vocem שֵׁבֶט ita à pleriſq; Tranſlatoribus expoſitam cognoſcimus, ut non tantùm qvod ſenſum, ſed & qvoad ipſum ſonum retineatur. In Latinis certè verſionibus & Europæis reliqvis non aliunde, qvàm ex Ebræo, originem duxiſſe videtur, qvod ponitur, *Sceptrum*, Scepter; de qvo vid. Guicharti *Harm. Etymol. Lingvar*. p. m. 931. Apud Græcos vero, Chaldæos & orientales alios metonymia vocis in ſuum ſignatum reſolvitur: illi habent ἄρχων *Princeps*, Targum Onckel. עבר שולטן *gerens dominium*,

um, Hieroſymit. מלכי *Reges*. Singularis eſt cum Aqvila Tremellius *tribum* vertens. Qvicqvid ſit, id certum eſt, vix proprio qvenqvam Interpretem ſignificato vocem exponere, tranſlato omnes. Propriè enim & primò vox *baculum*, aut *virgam* ex arbore ejusve radice naſcentem ſignificat Ex. XXI. 23. Prov. X. 13. Ezech. XX. 37. Lev. XXVII. 32. vel ſimile qvid *baculo*, qvale eſt *gladius*, *virga ferrea* dictus Pſ. II. 9. ſecundùm R. Obadiam & R. Salomonem; item baculus ex auro, ut Eſth. IV. 11. Deinde verò, qvia, qvi in autoritate & eminentia conſtituti, baculos manibus gerebant, in ſignum poteſtatis, ut *Judas* Gen. XXXVIII. 18. *Moſes* Exod. IX. 2. (licèt utrobiq; vox משה inveniatur ejusdem ſignificati) tranſlata videtur ea vox à proprio & nativo uſu ad metonymicum, ut ſit Magiſtratus dominiiq; ſupremi inſigne, idq; non minus in ſacris qvam profanis literis. Ita Seneca in *Oedipo*, act. 3.

Si te ruentes non ſatis Thebæ movent,
At ſceptra moveant lapſa cognatæ
domus,

Item ad fin. ibid.

Qvi ſceptra duro ſævus imperio regit,
Timet timentes, metus in Autorem redit.

Xenophon Lib. VIII. *Cyropæd. Non illud aureum eſt ſceptrum, qvod regnum ſervat, ſed multi amici ſunt Regibus Sceptrum veriſſimum firmiſſimumq́.* Cum enim Principes, ut dixi, olim in manibus Majeſtatis indicium baculos aut virgas ex ligno factas vel ipſi geſſêre, vel ab aliis ſibi præferri voluêre, tandem, ut magnificentia aliqva acceſſit, uſi ſunt eisdem ex ebore, argento deniq; vel auro: qvæ tum ſceptra appellari cæpere. Hinc apud Horatium *ſceptriferi Tonantes*, apud Ovidium *ſceptriferæ manus*, apud Tacitum *ſceptrum tenens*, ſicut Amoſ. I. 5. 8. תּוֹמֵךְ שֵׁבֶט *tenens ſceptrum* i. e. Rex; & apud Ciceronem Imperator deſcribitur, *ſedens cum purpura & ſceptro, & inſignibus illis Regiis.* Atq; hinc illa metonymia *ſceptri* pro Regno aut Principatu ſummo. Neq; tamen Regum aut Principum tantummodo hoc erat inſigne, ſed & alio-

aliorum, qvi in populo aliqvo aut Civitate, ſui juris, ſummnm gerebant Magiſtratum. Certè inter inſignia Conſulum Romanorum qvis neſcit faſces fuiſſe, de qvibus Livius *lib.* 22. *ad fin.* Licèt ante id tempus Regibus ſcipiones & ſceptra geſtata, ut in Tarqvinio narrat idem lib. 3. qvorum ſignificatum, ſumma nempe Majeſtas, cum etiam poſt Reges in Conſulibus reſedit, qvid mirum cum faſcibus ſimul ejusmodi ſceptra Conſularem poteſtatem repræſentâſſeut? docet Valerius de priſcis Conſulibus *Lib.IV.c.* 4. & Valeriani Epiſtola apud *Vopiſcum in Vit. Aureliani.* Vid. & Caſſiodor. *l.* 6. Ennodius *in Panegyr.* Et ſic de hoc ſceptro Juvenalis *Sat.* 10. intelligi fortè debet:

Da nunc & volucrem, ſceptro qvæ ſurſurgit eburnô.

Eandem vocis metonymiam nomen dediſſe *Tribui* (qvæ apud Ebræos qvoq; שבט dicitur Pſ. LXXVII. 67. 68. & infinitis locis aliis) utpote unius ſub regimine Patriarchæ conſtitutæ non infeliciter obſervavit Joſ. Mede Anglus *in h. l.* Habebant en. ſingulæ Tribus ſuos primores ſive *principes*

pes נשיאים, qvi dignitate & poteſtate præcellebant inter Patres familiarum cujusq; Tribus, Num. I. 16. VII. 2. 30. Deut. V. 23. 1. Reg. VIII. 1. 1 Paral. XXVII. 22. Aliàs neq; vero diſſimile judicium aliorum eſt, qvi ideò Tribum dici שבט ſive מטה (qvæ ferè idem ſunt) autumant, qvòd, ſicut baculus ſive virga ex arboris trunco enaſcitur, ità Tribus ex uno qvaſi ſtipite communi oriatur. Id vero in Hug. Broughtono, tanqvam magnum qvendam ſolæciſmum Criticum notamus, qvòd *in Epiſt. ad Nobil. Angl.* ſcribat, vocem שבט, licet 32 vicibus in Moſe inveniatur, nunqvam tamen ſtare pro *ſceptro*, ſed pro *Tribu*; laudetq; in Aqvila, tanqvam ſingularem ἀκρίβειαν, qvòd Gen: XLIX, 10. per *Tribum* τὸ שבט reddiderit: qvaſi ſenſus hujus loci eſſet, ante adventum Chriſti ità reliqvas Tribus defecturas eſſe & diſſipandas inter gentes, ut in confuſionem gentium abituræ eſſent; ſolam verò Tribum Judah usq; ad adventum Chriſti conſervandam. Adverſus qvod Broughtoni interpretamentum militant (1.) Ipſa verba oraculi, לא יסור שבט מיהודה, qvæ,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

qvæ, ſi ſignificarent *non diſſipandam & confundendam Tribum Judah*, dixiſſent potius לא יסור שבט יהודה qvam מיהודה. Unde patet non tam de Tribu Judah qvàm de Majeſtate aut Principatu ſummo iſta in Tribu, locutum eſſe Divum Patriarcham. Et cum *Tribus Judah* & *Judah* h.l. idem ſunt, qvalis, rogo, hæc eſſet ταυτολογία in breviſſimo vaticinio, *Non recedet Judah à Judah*, vel *Tribus Judah* à *Tribu Juda*? (2.) Qvòd, ut ut fortè concederemus ſignificarionem, qvam urgemus, & שבט non occurrere in Scriptis Moſis, pro nobis tamen ſatis eſſe poterit adduxiſſe alia loca ex V.T. Scriptura, ut Eſ. II. 9. XLV. 7. coll. cum Ebr. I. 8. Eſth. IV. 11. V. 2. ubi pro inſigni dominationis Regiæ omninò uſurpatur. Nimis tamen fidenter Broughtonus aſſeruit, nunqvam à Moſe eam vocem adhibitam hoc ſenſu. Certè Num. XXIV. 17. non patitur aliam expoſitionem vox illa, qvàm de *ſceptro* per metonymiam Regem ſive Regnum aliqvod denotante; verba ſunt Bileami: וקם שבט מישראל & *ſurget ſceptrum ex Iſraele, qvod franget latera Moabi-*

abi-

abitarum. Ubi qvis Rex, vel cujus Regnum per ſceptrum illud intelligatur, non opus eſt ex Oedipo diſcere; vel Davus aliqvis Hiſtoriæ S. non ignarus illud de Davide explicabit, qvi Moabitas graviſſimè afflixiſſe legitur 2 Sam. VIII. 2. & 1 Par. XVIII. 2. Ita licèt hæc de Davide prædicantur, ut ſimul myſticè referantur ad Chriſtum, cujus Pater & typus David: ideoq; *Chriſtus* non ſemel *David* appellatur, ut notum eſt, à Prophetis. (3.) Qvòd, qvæ de non confundenda Tribu Judah, ſicut reliqvæ confundendæ erant ante Meſſiæ adventum, adducuntur, non planè eventui reſpondeant. Qvamvis enim deportatæ in captivitatem X. Tribus, maximam partem Gentibus, apud qvas exulabant, permiſtæ hæſerint, nunqvam ut poſt id tempus in patrias ſedes redierint; integras tamen illas tribus omni ex parte ante Meſſiæ incarnationem confuſas fuiſſe non videtur tutò poſſe affirmari; præſertim cum Lucas c. II. 36. meminerit *Annæ Prophetiſſæ filiæ Phanuelis ex Tribu Aſer:* & Africanus apud Euſebium *Hiſt. Eccleſ. l. I. c. 17.* teſtetur familias Ebræorum (lo-

qvi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

qvitur autem de tota gente Iſraelitica) deſcriptas fuiſſe in tabulis publicis, qvas Herodes, obſcuri ſui generis ſibi conſcius, incenderit. Poſt qvod demum tempus oborta videtur magna illa circa genealogias confuſio, unde illæ apud Judæos natæ *diſputationes genealogicæ* qvas reprehendit Apoſtolus 1 Tim. I. 4. Tit. III. 9. Et verò ad Meſſiæ usq; nativitatem durare debuit illud à DEO ordinatum Tribuum diſcrimen, ut ſciretur, ex qvâ ille Tribu juxta prophetiam eſſet oriundus. Jamq; non poſtremum hoc eſt argumentum ad convincendum de Meſſiæ adventu Judæos, qvod ex illo tempore ignorent, ex qvâ Tribu, ac multò magis ex qva familia eorum qvisq; ducat originem. (4.) Qvòd vix qvisqvam ſit inter primarios Judæos Expoſitores, qvi non ad Regiam dignitatem aut Principatum in Tribu Judah futurum reſpexerit. Inter qvos primo facile loco nobis memorandus R. Moſes Haddarſchan, qvi in ſuo *Bereſchith Rabba* vocem שבט unà cum ſeqvente מחוקק exponit de illa לשכת גזית ſive *aulâ ex cæſis lapidibus* λιθόςρωτος dictâ Joh. XIX. 13. in

qva

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

qva Synedrium i. e. Senatus ille Magnus Judæorum, Majeſtatem Gentis ultimis præſertim temporibus repræſentans, habebatur, ut legimus in Tract. Talmud. *Middoth* c. 5. & *Jomah* c. I. Sed de his plura deinceps.

4. De nomine יהודה nullam qvidem nobis litem movent Judæi, qvi ità dictam à ſuo Patriarcha Tribum conſentiunt, tum ſolam ante Regium in Iſraele Imperium, & poſtea ſub Saule & Davide primis Regibus, tum qvoq; acceſſione duarum Tribuum Levi & Benjamin auctam, poſt fatale X. Tribuum Schiſma, ſub nepote Davidis Roboamo ejusq; ſucceſſoribus usq; ad ultimi Templi devaſtationem. At res Nobis non exigui momenti eſt cum Veteribus qvibusdam Patribus & novis aliqvot inter Chriſtianos Interpretibus, partim circa nominis *Jehudah* acceptionem, partim etiam circa tempus, qvando ſceptrum, de qvo loqvitur annoſus Vates, Judæis contigerit. Concedimus eqvidem *latè* nomen Judæorum tribui etiam Benjaminitis & Levitis, qvi Tribui Judah adjuncti, unum cum illa idemq; Regnum & politi-

am

am eandem habuêre, poſt ſeceſſionem ſcil. Tribuum X. reliqvarum; Vid. 1 Reg. XII. 21. 23. coll. cum v. 20. & 2 Par. XI. 13. 14. 16. Qvâ ratione & Mardochæus & Paulus Apoſtolus, qvi erant Benjaminitæ, vocantur Judæi Eſt. II. 5. Actor. XXII. 3. Rom. XI. 1. Sed non concedimus eo nomine appellatos reliqvarum X. Tribuum Iſraelitas, ſive ante ſeparatum ſub Roboamo Regnum *Judah*, qvod putat Ravanellus *Biblioth. p. m.* 1361. *a.* ſive poſt captivitatem Babylonicam, ut ibidem Ravanellus obſervat ex Auguſtino *ſup. Gen. qv.* 25. *de Conſenſ. Evang. l. I. c.* 25. *& in Pſ. LXXV.* Nam neq; hoc probari poteſt ex Scripturis, neq; ex hiſtoria reliqva. Certè Joſeph. *Antiqvit.* l. XI. c. 5. diſertè ait: *duas tantùm* Tribus (Levitica ſc. non computatâ, ut qvæ neq; in diviſione Terræ pro Tribu ſpeciali habebatur) *in Aſia & Europâ Romanis ſubactas fuiſſe, reliqvas omnes remanſiſſe in loco trans Euphratem ad ſuum usq; tempus.* Jam verò, qvi non reverſi ſunt à Captivitate, qvomodo Judæis reverſis accenſeri potueruut? Perrari verò illi, qvi ex X. Tribuum unâ vel

alterâ

alterâ religionis amore Judæos in terram ſuam revertentes comitati videntur, (qualis fuit familia Annæ Prophetiſſæ ex Tribu Aſer Luc. II. 36.) non potuerunt præ ſuâ paucitate reliqvis Iſraëlitis, Babylone vel inter Samaritanos alibive terrarum trans Euphratem commorantibus, nomen Judæorum commune promereri. Sed adhuc multò minùs largimur Caſaubono illam libertatem, qvam ſibi arrogavit *Exercit. cont. Baron. I.* § 3. ſub appellatione Judæorum latè complectendi omnes ejusdem originis & religionis, aut ſaltem religionis ſocietate junctos, Jeroſolymitanos, Galilæos, Peraitas, Idumæos, Alexandrinos, Babylonios & omnes qvi Philoni aliisq; dicuntur οἱ ἐκ τῆς διασπορᾶς. Miraremur illum in Viro longè acutiſſimo errorem, niſi sciremus eum ſententiæ ſuæ (qvòd Herodes, licèt Idumæus, non fuerit alienigena, ſed Judæus) amantiſſimum, non aliter ei potuiſſe ſervire, qvàm per nominis Judæi adeò latam acceptionem. Qvod autem pace fiat tanti Viri, negamus alios ἐν τῇ διασπορᾷ Judæos fuiſſe appellatos, qvàm qvi Judæi erant tum origine,

 tum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

tum coälitione antiqvâ in eandem Rempublicam Judæam, tum qvoq; ex his Majoribus proſapiam ſuam ſibi vendicantes. Si qvi religione ad Judæos acceſſerant, ſive in ipſa Judæâ, ſive ἐν τῇ διασπορᾷ, nunqvam, qvod ſcio, in ſcripturis dicti fuêre Judæi, ſed προσήλυτοι Judæorum. Neq; Philo unqvam per τοὺς ἐκ διασπορᾶς intellexit & Judæos origine ac Religione, & ſimul eos qvi religionem tantùm amplexi erant Judæorum: qvos non protinus dici Judæos potuiſſe niſi impropriè certum eſt. *Ebræi* qvidem appellari omnes non tantùm gente Iſraëliticâ, ſed & Religione tales, at non item *Judæi*, ut pluribus docet illuſtris Salmaſius *de Helleniſt. qvæſt. V.* Nobis ſufficit, licèt aliàs tamen nihil dubitantibus, qvòd Act. II. 9. 10. 11. promiſcuæ illius multitudinis homines, qvæ ad feſtum Pentecoſtes, & qvidem ad miraculum illud lingvarum in Apoſtolis conſpicuum confluxerat, Parthi, Medi, Elamitæ, Meſopotamiæ, Judææ, Cappadociæ, Ponti, Aſiæ minoris, Phrygiæ & Pamphyliæ, Ægypti & Libyæ Cyrenææ incolæ, ac peregrinantes Romani, (qvi communi religi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

ligionis & cultus Judaici amore ad feſtum undiq; acceſſiſſe videntur,) apertiſſimè diſtingvantur in *Judæos & proſelytos* ſc: Judæorum: ut vanum fuiſſet ità diſtingvere, ſi tam qvi ſola Religione Judæis adjuncti, qvàm qvi tales erant & Religione & origine ſimul, pro Judæis propriè habiti fuiſſent.

5. Atq; hæc qvidem de acceptione nominis *Jehudah*. Sed longè difficilior eſt qvæſtio, qvô primùm tempore hoc ſceptrum Judæis obtigerit. Intolerandam hac de re Euſebii opinionem meritò perſtrinxit Cunæus *de Rep. Ebr. l. I. c. 9.* Credidit nempe ille maximus Scriptor *Demonſtr. Evang. lib. 8. demonſt. 1.* Judæ datum fuiſſe hoc ſceptrum jam inde à Moſis temporibus, atq; hinc factum eſſe, ſemper ut illa Tribus inter ſocias ſingulari qvâdam dignitate excelluerit, ſive locum in caſtris ſpectas, qvi honoratior, ſive ordinem inter offerentes in Sacris munera, qvi primus, ſive ſortem in diviſione telluris, qvæ primaria, ſive deniq; numerum totius Iſraelis, in qvo ſpecialis habita ratio Tribus *Judah*. Vid. Num. VIII. 12, X. 14.

Joſv. XV. 1. 1 Sam. XV. 4. At qvàm debilis eſt ratio, qvæ ducitur ab ordine qvôdam honoris, ſive à dignitatis cujusdam prærogativâ, ad Imperium & Majeſtatem? Fuerit eqvidem Judah inter Tribus prima, fuerit excellentiſſima, ſc. tum *excellentia roboris*, tum *excellentia dignitatis*, qvæ, Rubeni ut primogenito debita, cum is *profanâſſet ſtratum patris ſui*, conceſſa fuit Judæ, *ut prævaleret & antecederet fratribus ſuis* Gen. XLIX. 4. 8. 1 Par. V. 1. 2. habuerit item jus Sceptri inter alias Tribus, idq; ex divina ordinatione, per Jacobum Patrem revelatâ Gen. l. c. v. 10. (qvippe iſtam Tribum DEus elegerat, ut in ea conſtitueret cultum ſuum & Regnum Pſ. LXXVIII. 68.) at non ſtatim inde conficitur eam Tribum dominatam reliqvis, aut penes illam fuiſſe ſummam rerum inter reliqvos Abrahamides, ſive ipſam Majeſtatem intelligis, qvæ Ariſtoteli dicitur τὸ κύριον τῆς πολιτείας, ſive individuum aliqvod ejus Majeſtatis ſubjectum, qvod Amos I. 5. eſt תומך שבט ὁ σκηπτοῦχος, *is qvi ſceptrum tenet.* Et ſacra Hiſtoria reclamat illi opinioni, qvoties ex aliis Tribubus Judices cum

ſummâ poteſtate, inde a Moſis & Joſvæ obitu populo Iſraelitico præfuiſſe memorat: & nonné primus in Iſraële Rex è tribu Benjamin? Sed qvodſi daremus Euſebio, in tribu Juda inde à Moſis temporibus emicuiſſe non tantùm ordinis & prærogativæ, ſed ſceptri, i. e. Majeſtatis inſignia; nihil tamen vetaret dicere, omnium Iſraëlitarum, non ſolius Judæ, hoc fuiſſe commune Regnum: qvippe cujus poteſtas non in ſola Tribu Judah ὅλως, ſed & μερικῶς in reliqvis XI. Tribubus reſederit, qvarum ſingulæ ſuos cum jure ampliſſimo Patres & Principes, communis iſtius majeſtatis participes, habuêre. Nec verò Judæa illa dici potuit Reſpublica, aut Regnum Judæ, cujus non niſi pars aliqva, eadémq; exigua, ſi ad omnes Tribus ſimul ſumtas conferatur, Tribus Judah fuerit, licèt Principes ex hac cum ſumma poteſtate exſtiterint: non magis certè, qvàm cum Romæ olim ex certis familiis, vel Tribubus, ad ſummum Magiſtratum eligebantur Bruti, Metelli, Cæſares, &c. idcirco non Romanum, ſed Cæſareum, Metellicum, aut Brutinum appellari debuit Im-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

perium. Qvin ergò Rempublicam Ebræam & Sceptrum, inde usq; ad Roboamum, non Jndæorum, ſed XII. Ttibuum, adeoq; omnium per ea tempora Iſraëlitarum fuiſſe indubiè affirmamus. Qvod & ipſe Euſebius, ſui velut oblitꝰ, affirmat, cum ait: *Jam inde à temporibus Moſis Duces qvidem Iſraëlitici, ſi particulatim eos intuearis, ex diverſis Tribus lecti imperârant*; ſed qvod ſubjungit, *in univerſum toti genti præfuiſſe Judæam Tribum*, id non convenit S. Hiſtoriæ. Mox præ qvadam incogitantia, cum de univerſali hoc in Iſraëlitas Judæ Tribus imperio rationes afferre debuit, attulit de ejus nomine, qvòd, qvemadmodum qvi, *ex diverſis alii aliunde gentibus, Romanis præfuêre rebus, appellati ſunt Romani, visq; omnis & poteſtas Romanorum dicta; ita de Ebræorum rebus exiſtimandum ſit, qvaſi una qvidem Tribus Judæa toti genti illuſtre nomen ſuum impertiverit, particulatim verò Duces ac Reges creati ex diverſis Tribubus ſint, qvi tamen ex communi illa Judæorum appellatione honorem acceperint.* Sed nos non de nomine tam diſceptamus, qvàm de-

de re ipſa, i.e. Sceptro ac Majeſtate, qvam, vel ipſo fatente Evſebio, non ex ſola Tribu *Judah*, ſed & ex aliis Tribubus Duces & Reges obtinuerunt. Qvamvis neq; verum ſit *unam Tribum Judah reliqvis illuſtre nomen ſuum impertiviſſe*; ſomnium hoc eſt Euſebii, in qvo pollicem Ei premit celeberrimus Caſaubonus *Exercit. I. §. 3. p. m.* 22. neſcio qvod myſterium captans anticipatæ denominationis. Hoc enim eſt, qvod cum Cunæo conſtanter negamus; imò ad S. Hiſtoriam qvâvis ſponſione provocamus, in qvâ nusqvam occurrit illa Regni Judæ appellatio, niſi poſt ſeceſſionem, qvam major Iſraëlitarum pars fecit auſpiciis Hieroboami, in Samaria Regnum ſuper X. Tribus conſtituentis. Ex eo enim tempore, qvæ ſub Roboami fide perſeveravit Judæa Tribus, factâ acceſſione Tribus adjunctæ Benjamin, & Levitarum ſacris Hieroſolymitanis adhærentium, dici primùm cæpit *Regnum Judah*: ipſiq; adeò Levitæ & Benjaminitæ appellati Judæi. Res hæc eſt tam clara, ut tenebras fingere, ubi nullæ ſunt, niſi qvi in Sacris literis hoſpes eſt, nemo poſſit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Itaq; nec dubium, Divinum Vatem, (qvi in prophetia, qvæ futura erant, ut præſentia intuebatur, & de futuro Judæ ſtatu, non hercle ſtatim poſt ſuum exitum, aut liberationem filiorum ex Ægypto, ſed in ultimis diebus, prædixit) non per nomen Judah intellexiſſe omnes Iſraëlitas, ſed tribum Judah, in qvâ Sceptrum à Tribubus reliqvis diviſum, poſtqvam eſſe cæpit, non planè ceſſaturum erat, anteqvam veniret *Schiloh* promiſſus. Qvod antem alii Patres, (qvos recenſet Caſaubonus *Exercit. I.* §. 2.) *ſceptrum hoc* *Judæ*, ſive regnum Juda à Davide inchoatum eſſe putârint, id, ipſo licèt Caſaubono non dubitante, tam parum conſtare poteſt, qvàm verum eſt Davidem ſimul regnâſſe ſuper reliqvas Tribus omnes, ut & ante eum primus Rex Saul: nec tamen unqvam vel hunc vel illum *Reges Judah*, ſedubiq; *Reges Iſraëlis* appellari.

6. Seqvuntur ordine ומחוקק מבין רגליו Primam vocem מְחוֹקֵק Vulgatus vertit: *Dux*, Targum Onkeloſi ספרא *Scriba*, Hieroſolymit. ספרין מלפי אוריתא *periti*

Do-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Doctores Legis, Tremell. Jun. *Legislator*, Luth. ein Meiſter / Belg. de Wetgever, Vern. Lœremeſtere / Angl. *the Lawgiver*, & ſic ferè reliqvæ Verſiones Europææ. Ubi, præter ſolam Vulgatam, nulla diſcedit à propria vocis ſignificatione, cujus thema חָקַק notante Brixiano propriè eſt idem qvod græcis χαράττειν *ſculpere* ſtilo ſc. ferreo, pro more antiqvorum, ut Job. XIX. 23. Eſ. XLIX. 16. Hinc autem, qvia, qvæ obſervanda erant omnibus, in tabulas referebantur, &, ut apud Romanos, in æs incidebantur, quò reſpexit Naſo *Metam. l. I. fab.* 3. de aureo ſeculo:

Pœna metusq; aberant, nec vincla minantia fixo
Ære ligabantur - - -

eleganter hoc verbum ſumitur pro eo qvod eſt *ſtatuere, Legem dicere, jus condendarum Legum habere.* Qvia verò hoc jus pars eſt Majeſtatis ſive ſupremi dominii, factum fortè, ut Vulgatus *Ducem* reddiderit, qvod alii Legiſlatorem. Rectiùs autem Onkelos *ſcribam*, &, qvod idem eſt, *peritos Doctores Legis* Hieroſoly-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

ſolymitanus τῷ φρέζει, qvem ſeqvi videntur Lutherus & Vernacula. Idem enim, ſunt סופרים *ſcribæ* & חכמים ſive רבנים *Sapientes, Doctores* ſ. *Magiſtri*, teſte Elia *in Tiſchbi*, qvi νομικοὶ & νομοδιδάσκαλοι item γραμματεῖς dicuntur paſſim in N. T. non tam ἀπὸ τοῦ γράφειν, qvàm ἀπὸ τῶν γραφῶν ſive ἱερῶν γραμμάτων, qvæ ſcrutari & evolvere, imò populo prælegere & exponere, ac, ſi qvid dubii oriretur, ex iis reſponſa dare, ipſorum erat munus atq; profeſſio, uti colligitur ex Matth. II. 4. VII. 29. XXIII. 2. 1 Cor. I. 20. Sed licèt vox מחוקק de hiſce Scribis & Legiſperitis commodè intelligi poſſit: non eſt tamen diſſimulandum majus qvid & auguſtius eo nomine declarari. Fortè non infeliciter hic magnus ille Caſaubonus Exerc. I. §. 3. p. m. 22. auguratus eſt per מחוקק notari *Magiſtratus & Judices, & qvi dicuntur Græcis Nomothetæ*, qvos *Ariſtoteles nominat* τὰς ἀρχὰς καὶ τὸ δικάζον. Atqve ſic vim vocabuli proximè aſſecuti ſunt, qvi vertunt *Legislatorem*, Wetgever, *Law-giver*. Qvis enim ignorat, qvanta ſit differentia inter νομοθέτην & νομοδιδάσκαλον,

qvæ

qvæ appellationes minimè ſunt recipro-
cæ? Et verò ex formali verbi חקק ſignifi-
catione patet hoc modo accipiendum eſſe
τὸν מחוקק, ut νομοθέτην deſignet, non νο-
μοδιδάσκαλον, qvi potius eſſet dicendus
מְסַפֵּר אֶל־חוק ex Pſ.II.7. *enarrator*, ſive
expoſitor ſtatuti. Jam ipſum τὸ חק &
plur. חֻקִּים plerumq; ſtatuta ceremonia-
lia & ordinationes circa cultum divinum
denotat, ut videre eſt Ex. XII. 24. 43.
XXVII. 21. XXIX. 9. & alibi in Moſe
paſſim: ſicut & hâc ratione החקים di-
ſtingvuntur ἀπὸ ȣ̃ המצוה & המשפטים,
qvæ ſunt *Lex Moralis*, & *Leges forenſes*:
ut non ſemper qvi Leges explicat ſit Le-
gislator. Sic Chriſtus, qvà N. T. Media-
tor, Leges novas nullas tulit, veteres ex-
plicavit & adv. Phariſaicas corruptelas
vindicavit. Dico, qvoties vox מחוקק in
Textu S. occurrit, rectius de Legislatore,
qvàm de *Scribâ* aut νομοδιδασκάλῳ exponi
idq; præter h. l. Geneſ. 6. vicibus, Deut.
XXXIII 21. Num. XXI. 18. Jud. V. 14.
Eſ XXXIII. 22. Pſ. LX. 9. CVIII. 9. utro-
biq; verba, *Judah eſt* מְחוֹקְקִי *Legislator*

meus

meus, LXX. reddunt βασιλεύς μου (ſicut Prov. VIII. 15. actus τοῦ חקק adſcribitur τοῖς רוזנים *Dominatoribus*) ut pateat principalem & cum Majeſtate conjunctam Leges ferendi poteſtatem, non miniſterialem aut directivam, qvalis omnibus Legum doctoribus competit, hoc titulô indicari. Illuſtris huc facit locus Eſ. XXXIII. 22. ubi Zion, poſt ablatum ſibi סופר *Legisperitum* v. 18. ſolatur ſe, quòd eundem habiturus ſit Legislatorem, qvem Judicem, Regem & Servatorem, כי inqvit, יְהוָה שֹׁפְטֵנוּ יְהוָה מְחֹקְקֵנוּ יְהוָה מַלְכֵּנוּ הוּא יוֹשִׁיעֵנוּ, ubi clarum eſt, tum diſtingui diverſis nominibus à *Legisperito Legislatorem*, tum ſupremæ Majeſtatis partem in ferendis legibus hac voce deſignari. Atq;, qvod maximi momenti ad propoſitum noſtrum eſt, non aliam patitur interpretationem ipſum Vaticinium; in qvo ſi prædictum eſſet de Legisperitis, & Legis Doctoribus, qvod nunqvam non invenirentur apud Judæos usqueqvò Schiloh veniret, tum certè vel *Schiloh* nondum veniſſet, vel circa tempus adventus ejus fru-

fruſtra hujus rei complementum qværeretur. Nondum enim deſunt in ea gente, licèt patriis ſedibus extorre & vagabundâ, Legis divinæ Interpretes, nec defuerunt unquam. Ergo poteſtatem judiciariam & quidem principalem ac αὐτονομικὴν intellexit S. Vates, quam circa tempus adventus Meſſiæ ſuperſtitem fore in Republica Judæâ, & tunc primùm auferendam Ei ſimul cum Sceptro præſagiit. Talis autem poteſtas in Synedrio illo Magno reſidebat, penes quod ſumma erat jurisdictio circa ſacra & profana, ſummaq; vis abſolvendi aut condemnandi: qualis ſi exercetur citra imperii meri miſtive vim, qvâ executio ſubſequatur, in regiminis ratione eſt planè fruſtranea & nihili, judicio Clariſſ. Seldeni *de Synedr. Vet. Ebr. L. I. c. 5.* Hujus Synedrii Aſſeſſores, qvia ſecundùm Moſis inſtitutum Ex. XIIX. 21. eſſe debebant *timentes DEum, veraces & minimè avari*, &, cum hæ virtutes quandoq; plebejæ ſunt, inſuper *ſapientes, ſcientes, atq; Potentes*: non dubium inter cæteras qualitates hanc fuiſſe maximè neceſſariam, quòd ſcientia juris Naturalis & divini, uti

&,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

&, quod tunc acceſſerat, humani, juxta quæ, ut lib. cit. oſtendit Seldenus, erat judicandum, præ vulgo excellerent. Cæterùm illi non de plebe hominum lecti, ſed nobiliſſimi omnes, qui amplitudinem Majorum ac priſca familiæ decora præferebant. Illi ſtatuta de rebus ſacris condere, & modos comminiſci, quibus Lex exponeretur; apud hos doctrinæ per manus traditæ vis omnis autoritasq; erat, ut tradit Maimonides in *Halacha* ממרים. Illi & de Republ. conſultare, jus dicere & negociorum arbitri eſſe, atq; adeò Majeſtatis partem cum Principe ſortiri. Inter quos duo erant, qui autoritate & honore præcellebant reliquos, quorum unus ראש הישיבה *totius Synedrii caput*, & à Talmudicis נשיא בכל מקום *princeps in omni loco* dictus eſt: alter huic proximus, ſed minor fuit, quem אב בית הדין patrem judicii appellavêre. Quomodo verò ad ampliſſimam hanc dignitatem Senatoriam initiati fuerunt, monſtrat Cunæus de Rep. Ebr. l. I. c. 12. ex *Majmonid. tr. Sanhedr. c.*4. Tantum autem abeſt, cujuscunq; generis Scribis & Legisperitis ad hoc faſtigi-

ſtigium aditus patuit, ut etiam ſummum Pontificem inde arcere licuerit, niſi eſſet *cordatus & conſiliis capiendis idoneus*, ut habet ibidem Majmonides. Licèt tamen certum ſit Levitas quoq; & Sacerdotes, ut penes quos primaria eſſet Legum divinarum peritia, allectos fuiſſe, dictos γραμματεῖς Matth. XXVI. 3. 57. Marc. XIV 53. XV. 1. Luc. XIX. 47. XX. 1. 2. XXII. 66. Act: IV. 5. Conf. Jerem. 6. 32. Pſalm. XLV. 2. Hìc ergò habemus illum *Legislatorem* מחוקק voce collectivâ i. q. Senatum quendã populi Judaici ſimul cum Principe Majeſtatem gentis repræſentatem; quem perpetuum Tribui Judah, ſive Reipublicæ intra ejus, potiſſima parte, terminos conſtituendæ, pollicetur Patriarcha.

7. Quod autem hic מחוקק dicatur non receſſurus *à medio pedum* Judah, מבין רגליו, id parum feliciter Targumim reddunt מבני בנוהי *à filiis filiorum ejus*, & LXX. ἐκ μηρῶν αὐτοῦ *à femoribus Ejus*, quos ſequitur Vulgatus, fruſtra defenſus à Mart. del Rio adv. Leon. Caſtrium *Phar. ſ. Sapient. ad Gen. h. l.* Neq; enim *carnalis ſucceſſio* hìc indicatur; quam tamen

non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

non diffitemur aliis locis, utpote Gen. XLVI. 26. & in primis Deut. XXVIII. 56,57. per hanc phraſin deſcribi Miramur inſignem hic hallucinationem Majmonidis, qvem inter Judæos primo loco habere ſolemus, quòd ex illo Deuter. loco, Geneſeos, quem tractamus, Textum explicandum autumet, in *Mor. Nevoch.* quaſi ex ſola Judæa Tribu perpetua ſucceſſione ad Senatoriam dignitatem adoptandi naſcerentur: cum tamen alibi idem inſignis Doctor ex aliis quoq; Tribubus lectos doceat. Qvod certum utiq; ipſa Scriptura comprobat, etiam ex *Manaſſe* ejusq; filio Machir oriundum *Legislatorem*, & ex *Zebulone Scribam* Jud. V. 14. etiam ex *Levi* & filiis Aaron Deut. XVII. 9. 20. 11. XXXIII. 10. ut diſertè Abrabaniel *in Leg. fol.* 363. dicat maximã partem Synedrii Levitis Sacerdotibus conſtitiſſe. Conf. Math. XXVI. Joh. XII. Imò ex poſteris *Jethro* quosdam accitos teſtatur Talmud Tract. *Gem. Sanhedr.* c. 11. Tum nec nulli ſed plurimi fuerè in hunc ordinem evecti ex tribubus *Dan* & *Iſaſchar*, ſi credendus *Baal Hatturim in Gen, XLIX.* 15. Et

verò

verò hæc fuit inſtitutio ipſius Moſis, ut ex LXX. Senioribus Iſraëlis hoc Concilium conſtaret, (lectîs ſcil. ex qvâvis Tribu ſenis, & deinde ſuperadditis binis, qvi per Schedulam ſeparati ſunt, Vid. *tr. Sanhedr. c.* 1.) Ex. XXIV. 19. Num. XI. 16. 24. Unde dictum Act. V. 21. γερουσία τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ. Imprudenter ideò à Baronio ſcriptum, *neminem ante Herodem fuiſſe admiſſum, qvi non eſſet è tribu Judah & domo David*; qvem idcirco multo ſale perfricat Caſaubonus *Exercit. IX.* §. 5. monſtratq; inſtitutum eâ ratione Synedrium, *ut ſi fieri poſſet è ſolis Sacerdotibus & Levitis conſtaret, qvi non erant è tribu Judah, ſed Levi.* Qvod tamen etiam cum grano ſalis accipiendum eſt. Nam cum Numerus τῶν סנהדרין LXX. vel LXXII. excedere non debuit; utiq; Sacerdotum & Levitarum infinitè major fuit copia. Itaq; illud, qvod Caſaubonus adducit ex Majmonidis *ult. Lib. Jad Hakkaſakah* c. 2. אם לא מצאו, *ſi non inveniunt* (ſc. Sacerdotes & Levitas) אפילו היו כולם ישראל *tum erant omnes Iſraëlitæ*, ſc. reliqvarum Tribuum, omnino intelli-

gendum eſt de conditione illa in Pontifice, & ſic: qvoq; Sacerdotibus ac Levitis, reqviſita אם היה ראוי בחכמה *ſi eſſet excellenti ſapientia*, ut habet idem Ægyptius Moſes *tr. Sanhedr. c.* 4. vel de virtutibus à Divino Moſe reqviſitis Exod. XIIX. 21. qvibûs qvi clarus non erat è Levitis & Sacerdotibus, fruſtra in Senatu locũ ambiret. Qvòd verò maxima pars Synedrii, (ſaltem poſtqvam Juda Tribus à reliqvis, exceptâ Benjamine, diviſa erat) Sacerdotes & Levitæ fuerint, ejus rei indicium ante captivitatẽ eſt ſub regno Joſaphat 2 Par. XIX. 8. 11. poſt captivitatem tota paſſionis Chriſti & Apoſtolorum Hiſtoria, ubi in ſolennibus Judæorum conciliis freqventiſſima τῶν ἀρχιερέων mentio. Eſt autem ἀρχιερεὺς in illis locis (B. Noldiô in *Hiſt. Idum. p.* 419. judice) *non primarius Sacerdos ex claſſibus, ſed omnis ſacerdotalis ſedens in Concilio oppoſitè ad alios Sacerdotes, qvi non Synedri.* Rectè id qvidem ὁ μακαρίτης: & dudum à Beza *Not. in Matth. II.* 4. obſervatum, eô nomine in Evangelio vocari eos ex poſteris Aaronis (hi enim ſoli erant ἱερεῖς Sacerdotes) qvi familiarum ſuarum

capita

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

capita vocabantur ſecundùm diſtributionem Neh. XI. & XII. inſtauratam. Qvamobrem iidem etiam *principes Sanctuarii* 1 Par. XXIV. 5. & שרי הכהנים *principes Sacerdotum*, i. e. ἄρχοντες τῶν ἱερέων ſive ἀρχιερεῖς 2 Par. XXXVI. 14. item γένος ἀρχιερατικὸν Act. IV. 6. ex qvo cum fuiſſe putatur Johannes Baptiſta, Patre Zacharia ἐφημερίας Abiæ, fortè capite Luc. I. 5. ideo dictũ Rabbinis כהן גדול *Sacerdotem Magnum* in *Zemach David. Part. I. ad an.* 3770. & alibi, veroſimilis eſt conjectura Altingii in *Schil. L. IV. c.* 22. At qvòd Beza eôdem locô Theophylactum falſum exiſtimat, qvia hic ἀρχιερεῖς appellatos ſcribit, qvi aliqvando Pontifices Maximi fuiſſent, pontificatu non ampliꝰ perpetuô, ſed venali factô; id certè fit injuriâ. Nobis enim hoc ità de qvibusdam ἀρχιερεῦσιν verum videtur, nullam ut credamus rationem dari poſſe, ob qvam Luc. III. 2. *Annas* non minùs qvàm *Cajaphas* ſummus Pontifex appelletur, qvàm qvòd Annas jam ante fuerat revera ſummus Pontifex. Atq; ex Joſepho conſtat, eos, qvi ſemel eam dignitatem eſſent adepti, nomen, etiam poſt

rem ſublatam, retinuiſſe. Neq; enim, qvod animadvertit Caſaub. *Exerc. IX. §. 5.* Annas apud Lucam ideo tantùm ἀρχιερεὺς dictus, *qvòd eſſet unus ex Principibus claſſium Sacerdotalium* 24. minùs, qvòd fuerit *Princeps Synedrii*, ut putavit Baronius, Principali Rom. Rontif. faſtigio ex hâc antiqvitate favorem qværens, ſed qvòd ſummum Sacerdotium ante Cajapham geſſerit, &, ut ex Joſephi Hiſtoria lib. XVIII. patet, per ea tempora, qvibus à Valerio Grato Pilati deceſſore Cajaphas ſummus Pontifex conſtitutus erat, & deinceps inter omnes Archieratici ordinis Pontifices præſtiterit. Ut vel hac de cauſa Lucas eum Cajaphæ præponat & hoc loco & in Actis. Huc etiam accedit, qvòd ſimul & ſemel non niſi unus fuerit ſummus Pontifex, cui conceſſum erat propriis ejus officii partibus fungi, præſertim 10. die menſis Tiſri, qvando ingrederetur adyta Templi, ut populum expiaret. Ingrediebatur enim μόνος ὁ ἀρχιερεὺς Ebr IX. 7. qvo reſpectu Cajaphas, eô annô, qvô paſſus eſt Chriſtus, ἐξοχικῶς dicitur ἀρχιερεὺς Joh. XI. 49. XIIX. 26.

i. e.

i. e. כהן הגדול ἱερεὺς μέγας καὶ πρῶτος 2. Reg. XII.8. XXV.18. Ei verò, qvia humani aliqvid ſæpe accidere potuit, qvo inqvinaretur & ſolenni Sacro prohiberetur, datus erat Vicarius, Co-adjutorem hodie vocant, qvi in tali caſu ſummi illius Pontificis partes impleret,ità tamen ut עבר יום הכפורים הרי הראשון חוזר לעבודתו והשני עובר, *qvam primum dies expiationum præteriiſſet, prior ille rediret ad ſua munia, vicarius autem ſe abdicaret*, ut docet nos Majmonides *in Hal. Abodath Jom Haccipp.* c. I. ex tract. Talm. *Masſechta Joma.* Atq; hic ille eſt Pontifex ſine dubio, qvem Scriptura 2. Reg. XXV. 18. & Jer. LII. 24. appellar כהן המשנה *Pontificem ſecundarium*, Maimonides verò סגן in *Hal. Cele Hammicdaſch* c. 4. סגן הכהנים Elias in *Tiſchbi* & in *Pirke Avoth c.* 3. Vid. & Joſeph *Antiqvit. l. XVII. c.* 8. Hæc qvidem addere opus viſum fuit, ne qvi ἀρχιερεῖς dicuntur in N. T. eodẽ omnes in cenſu habeantur. Atq; hæc, qvæ dicta ſunt, ſatìs, ut opinor, eorum ſententiã infirmant, qvi per מחוקק מבין רגליו intelligunt νομοθέτας & Magni Concilii Senato-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

natores ex Juda tantùm Tribu, per generationis ſucceſſionem exſtituros.

8. Verior itaq; eorum eſt ſententia, qvi illud רגליו interpretantur de terminis regni Judah, extra qvod non eſſet inveniendus hic Senatus, in qvo ſumma Judiciaria ſeu Legislatoria poteſtas, imò poſt ſolutam captivitatem usq; ad Meſſiæ tempora jam ſub Principibus, jam ſub Pontificibus, iterum ſub Regibus, ſed vix niſi precariò regnantibus, totus Reipublicæ Judaicæ cardo verteretur. Qvo qvidem reſpectu Pſ. LX. v. 9. ait יהודה מחוקקי *Judah Legislator meus*, i. e. in Judah tribu erit ſummum tribunal populi mei, licèt non ex eâ Tribu ſolùm, ſed & ex aliis Tribubꝰ collectum, ut modò declaratum. Huc etiam referri poteſt illa regula Talmudica in *tract. Middoth.* c. 5. דסנהדרין בחלקי דיהודה ושכינה בחלקי דבנימין. *qvòd Sanhedrin fuerit in partibus Judah, ſed præſentia divina* (ſc. ſuper arcam fœderis in Sancto Sanctorum) *in partibus Benjamin.* At verò Talmuldicum hoc aliqvâ indiget illuſtratione. Creditum etenim eſt Jeroſolymam, ſicut duale nomen ejus

eſt

eſt Ebræis, ita bifariam fuiſſe diviſam, in ſuperiorem nempe, qvæ ἡ ἄνω πόλις vel ἄκρα dicebatur, & inferiorem, qvæ ἡ κάτω πόλις. Illa in vertice montis Zion poſita, unà cum Templo in latere ejusdem montis exſtructo, nonnunqvam à Conditore Civitas Davidis nuncupatur. Templo deinde inferior urbis pars adhærebat. Cùm autem δίμερος Hieroſolyma in confiniis utriusq; Tribus Judah & Benjamin ſita erat, nondum tamen liqvet, in qvâ Tribu qvæq; pars Urbis præciſè terminabatur. Id liqvet ex Aben-Ezra *in Ezr. I. v. 5. qvòd Jeruſalem* Civitas *in portione Tribus Judah ſita fuerit, ſed Templum in portione Benjaminis*. Erat ſcil. ſi credimus Villalpando, & Junio *in Jud. I. v. 8. duplex Civitas propter Arcem, qvarum altera in ſorte Jehudæ erat, altera Benjaminis cum Jehudâ communis, arx verò ipſa ſolius Benjaminis*. Deniq; Templum in ſuperiore urbis parte cum Arce fuit conjunctum. Qvæ (ut ità ſe habeant) jam oſtendunt, qvomodo locus Synedrii fuerit in Sanctuario. Nam, cum Sanctuarium aliqvâ ſui parte, Templo vi-

del. ipſo (cujus intimum conclave divina habitatione venerandum) portionis erat Benjaminiticæ, exterioribus, ut videtur, partibus Civitati Judah imminebat. In his autem לשכת הגזית *aula* illla *cæſis lapidibus* exſtructa, λιθόστρωτος Joh. XIX. 3. (qvàm barbarè Caſtalio *lapidi-pavium* eſt interpretatus) in qva ſedebat Synedrium illud Magnum, juxta *Talm. Tract. Middoth. c. 5.* Et ſic ipſi Talmudici ſuum illud, qvod de diverſo ſitu Templi & hujus Aulæ ſupra ex eôd. tractatu attulimus, ſatîs explicant in altero tractatu *Jomah. c. I.* לשכת הגזית חציה בקודש והציה בחול ושמע מניה שני פתחים היו לה אחד פתוח בקודש ואחד פתוח בחול i. e. *Conclavis* λιθοστρώτου *pars dimidia erat in loco ſancto, & dimidia altera in prophano; unde qvoq; diſces duas illud habuiſſe portas, unam apertam in loco ſancto, alteram in loco prophano.* Nunc autem hiſce ità poſitis trinam dabimus vocum מבין רגליו *è medio pedum ejus*, expoſitionem: utramvis elige, & ſalvus erit Prophetiæ noſtræ ſenſus. (1.) *E medio pedum* Judah, i. e. è medio duarum Tribuum Judah & Benjamin,

jamin, quibus tanqvam duobus pedibus (Leviticâ Tribu, cui nulla erat certa terræ portio, non connumeratâ) Regnum illud ſive Reſpublica *Judah* innitebatur. Sicut enim pedes ſunt baſes & fulcra corporis naturalis, ſic provinciæ & gentes politici. Et ſic metaphoricè pedes ponuntur pro *ſuſtentatione* Job. XXIX. 15. (2.) *E medio pedum Judah*, i. e. à ſubjectione & imperio Judaico. Erat enim mos devictis pedes imponere, Joſv. X. 34. Et ſic *pedem ſuper terram & mare imponere* Apoc. X. 2. eſt, imperium in terram & mare ſibi vendicare. Sic qvoq; apud Ovidium Faſtor. l. IV. Roma dicitur:

Victorem terris impoſitura pedem.

Conf. 1 Cor. XV. 27. Eph. I. 22. Ebr. II. 8. Pſ. IIX. 7. (3.) *E medio pedum* Judah, i. e. ab obſeqvio & miniſterio Reipubl. Judaicæ. Sic *ad pedes* alicujus *eſſe* 2 Sam. XV 16. *ſeq.* 2 Reg. III. 9. geminatô tropô ſignificat ductum alicujus ſeqvi, ſub diſciplina alicujus eſſe, & miniſtrare Ei 1 Sam. XXV. 42. 2 Reg. XX. 10. imò ſequi tanqvã Ducem, ut Baracus Deborã Jud. V. 15.

9. Sunt & qvi huc applicant antiqvam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

conſvetudinem, qva Diſcipuli ante pedes Magiſtrorum velut inferiore locô conſidebant, ut Paulus ante pedes Gamalielis Act. XXII. 3. & Maria ante pedes Jeſu Luc. X. 39. qvo etiam alludere videtur Moſes in cygneâ cantione ſua Deut. XXXIII. 3. *omnes ſancti inſerentur pedibus tuis, ut ſuſcipiat qvisq; verba tua*, id eſt, ut multi volunt, attendent ad pedes tuos, montem ſc. Sinai, cui, velut pedibus, inſiſtens Deus, poſtquam deſcendit, legem ſuam docebit; illi verò *Sancti* Iſraëlis ad montẽ iſtum Legem accepturi conſiſtent, tanquam ad pedes Doctoris diſcipuli. Sed hoc nimis contortum eſt (1.) qvia Moſes eô locô non poterat loqui de publicatione Legis, tanqvam re futura, qvæ dudum ante præceſſerat, ſicut mox in præter. ait. v. 4. *Legem nobis præcepit Moſes*, &c. (2.) Nullum eſt exemplum hujus Metaphoræ in Scriptura, qvòd Mons Sinai dictus ſit *pes DEi*, multò minùs in plur. *pedes DEi*. Itaq; potiùs hoc explicandum eſt de Sanctuario, qvod *ſcabellum pedum DEI* nuncupatur Pſalm. XCIX. 5. de qvo apud Ezechielem c. XLIII. 7. DEus prædicat,

qvòd

qvòd fuerit *locus ſolii ipſius*, & *locus plantarum pedum ipſius, ubi habitabat inter Filios Iſraëlis*. Ibi enim cultus Iſraëlis publicus, ibi publica Legis & qvotidiana exercitia. Hinc per ſummum Sacerdotem qværebantur oracula. Huc tanquam Diſcipuli ad Præceptorem confluebant morigeri Iſraëlitæ (de *Sanctis* enim Iſraëlis loqvitur, i. e. de genuinis Iſraëlitis, ut Joh. I. 47.) ac repetebant dictata Magiſtri, *ſuſcipientes verba ejus*, & dicentes (ut commodè ſupplent Tremell. Junius) *Legem præcepit Nobis Moſes*, &c. Qvicqvid autem ſit de hoc loco & reliqvis pro diſcipulorum more allegatis, non poteſt hæc Metaphora, qvantumvis elegans & commoda, in vaticinio noſtro locum habere, niſi invertenda eſt vocum ſeries. Dicendum enim ad hunc modum Jacobo fuiſſet: *Non recedet Judah à medio pedum Legislatoris*: cum contrarium dicat: *Non recedet Legislator è medio pedum Judah*. Qvare prioribus interpretamentis ut tutioribus adhæremus, *tertiæ* præſertim, qvæ *Miniſterium* & ſubordinationem qvandam, per phraſin *eſſe ad* pe-

pedes, indicat. Qvò apprimè ſpectat ille inter proceres Regni cujusq; benè conſtituti antiqviſſimus ordo, ut qvò qvisq; majore munere ac potentiâ fungitur, hòc ſublimiore præ aliis loco gaudeat. Veſtigia antiqvitatis ſunt apud Xenophontem *Cyropæd.* l. VIII. *ſint*, inqvit Cyrus Rex ad Satrapas, *apud Vos* ἕδραι *i. e. ſubſellia, & viri præſtantiſſimi perinde atq; apud me potioribus locis gaudeant*, & paulò poſt: πάντες δ' οἱ ἄριστοι τῶν παρόντων ἕδραις προτετίμηνται. Meminit & hujus εὐταξίας Perſicæ S. Hiſtoria Eſth. III. 1. *magnificavit Ahaſverus Rex Hamanem, evexitq; illum, & poſuit ſedem Ejus ſupra omnes Principes, qvos ſecum habebat.* Clariſſimè verò & ad rem noſtram aptiſſimè Hiſtoria Joſephi Patriarchæ Geneſ. XLI. 40. Ibi Pharao Rex ad ſummam, & qvâ major inter Proceres Ægypti non erat, dignitatem promovens Joſephum, eos ipſi titulos, ea inſignia, eam poteſtatem dedit, ut poſt ipſum Pharaonem proximus eſſet; *tantummodo Regio ſolio Pharao major erat* Joſepho, & hic v. 43. *proximè Regem ſeqvebatur.* Jam, cum Re-

gium ſolium eſt *excellens & elatum*, ut Eſ. VI. 1, ſicut & Solium Salomonis ſex gradibus ſupra ſolum elevabatur 1 Reg. X. 19. 2 Par. IX, 18. illi certè, qvi honoratiſſimi ſunt inter Regni Magnates proximè inferiore loco, & velut *ad* vel *ante pedes* ſeu *ſcabellum pedum* Regis conſidere ſolent: qvemadmodum apud Naſonem conſeſſus Deorum *Metam. I. fab.* 6. deſcribitur.

- - ubi marmoreo ſuperi ſedere receſſu,
Celſior ipſe loco, ſceptroq; innixus eburnô ſc. Jupiter

Hanc itaq; figuram annoſus Vates, cum ſtatum in Judah Regium breviſſimè adumbrare voluit, adumbravit concinnè, ut, cum *Judah* i. e. Principes in iſta Tribu ſceptrum geſturi, ſummamq; ac ἀνυπεύθυνον Majeſtatem in ſe habituri eſſent, ante pedes Eorum conſeſſurus eſſet *Legislator*, i. e. Senatus ille Magnus ex Optimatibus populi collectus, ſolis Regibus inferior, ſed in qvô tamen maximum ad omnes res belli paciſq; momentũ, licèt à Regum Judah nutu penderet, nec ab iis divelleretur, aut etiam iis remotîs penitus unqvam diſſipa-

retur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

retur, anteqvam Rex æternus *Schiloh* in carnem adveniſſet, ut ſeqvitur.

10. In Verbis עַד כִּי יָבֹא שִׁילֹה tempus durationis ſceptro huic *Judah* adjunctoq; Senatui aſſignatur. Particulas duas עד כי Judæi, ut clariſſimam de Meſſia prophetiam eludant, ſubdolè diſtingvunt, pejùs explicant. Affingunt enim priori עד accentum diſtinctivum *Jethif*, ut ita ſeparetur à ſeqvente כי, & terminet prius comma; rejiciuntq; particulam כי ad ſeqvens membrum: unde ψευδερμηνεία hæc conficitur: *Non recedet Sceptrum à* Ju*dah, & Legislator à pedibus ejus æternùm, qvoniam venturus eſt Meſſias*, &c. Qvaſi non de Judaici Regni fine ante vel ſub adventu Meſſiæ, ſed de Regni ejusdem æternâ duratione etiam poſt Meſſiæ adventum Jacobus vaticinaretur. Extat hoc frivolum interpretamentum, inter alia ejusdem generis, in *Bereſchith Rabbah* c.99. cui & autoritatem ex Targum Onckeli affingit R. Bahie, qvando illud ſic παραφράζει: *non recedet habens principatum ex domu* Judah, *& Scriba ex poſteris*

ejus

ejus עד עלמא *in æternum*, עד דייתי משיחא *donec veniat Meſſias*. Qvin de ſuo ad hæc aliam expoſitionem æqvè ineptam aſſuit Menaſſeh Ben-Iſrael *Conciliat. Gen. Quæſt. LXV. §.* 10. qvòd particulæ עד כי non præfiniant tempus aliqvod, qvaſi illud dominium duraturum ſit ad Meſſiæ adventum, nec ulterius, ſed denotent *dignitatem*, ſicut cum dicitur Gen. XLI. 49. *Congeſſit* Joſeph *commeatum multum valde, inſtar arenæ maris*, עַד כִּי חָדַל לִסְפּוֹר *donec deſiit numerare*, & Deut. IV. 11. *Mons ille ardebat igne* עַד לֵב הַשָּׁמַיִם *usq; ad cor cæli*, i. e. medium vel ſummum cælum: ut ſenſus ſit, *exiguum* Judah *Imperium ad Meſſiæ tempora duraturum, tunc augebitur, nam illi parebunt Nationes*. Sed ruent per ſe iſta ſophiſmata Rabbinica, cum oſtenderimus, (1) particulam עד, etiamſi *ſeculum* vel *æternitatem* denotet, qvoties vel per ſe ſtat, idq; vel abſolutè ut Pſalm. CXLI. 10. עד אעבור *æternum tranſibo*, vel in conſtructione cum alio *ſubſtantivo*, ut Eſ. IX. 5. אבי עד *Pater æternitatis*, vel *verbo*, ut Eſ. LVII. 15. שוכן עד

In-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Inhabitans æternitatem; vel deniq; qvando cum voc. ſynonymis conjungitur, ut לעולם ועד Ex. XV. 18. Pſ. IX 6. & עדי עד Pſal. LXXXIII. 18. Eſ. XXVI. 4. nunqvam tamen *æternitatem* ſignificare, qvoties ſeqvitur part. כי vel אם, vel אשר, vel מתי, vel אז, vel כה &c. idq; immediatè, & in eodem commate, Vid. Eſ. XXX. 17. Num. XX. 17. Sic enim ſemper notat tam loci, qvàm temporis qvendam tranſitum. (2.) Accentum illum, qui ſubſcribitur part. עד, *Jethiph* nempe, non eſſe diſtinctivum, ut fingitur. ne qvidem ſecundùm ipſorum Grammaticam, nec omnino eſſe poſſe hoc loco, ubi immediatè præcedit ſub voce רַגְלָ֑יו Accentus Reg. *Athnach*, qvi primum verſus hujus membrum terminat, ſicut *colon*. Niſi fortè ſola עד vox per ſe comma vel membrum periodi conſtituet, qvod abſurdum & ἄτεχνον. (3.) Nec magis eadem vox materiam ſubſtratam intendit, ut vult Ben-Iſrael; Qvod autem exempli loco adducitur ex Gen. XLI. 49. nihil probat. *Congeſſit Joſeph commeatum magnum* *val-*

valde inſtar arenæ maris: hoccine ſatìs indicat qvantitatem commeatus? ſequens ideoq; עד כי *uſqvedum deſiit numerare*, qvid aliud dicit, qvam finem impoſitum collectioni frugum? ut rectè Tremell. Junius: *adeò ut deſierit numerare* ſc. commeatum, *qvia erat innumerus*. Alterô verò locô allegatô Deut. IV. 11. עד per ſe poſitum intendit ignis vim ardentis, qvoad terminum æqvè ac qvantitatem; tantus ſc. erat, ut *usq́ ad cælum arderet*. Sic עד מקום *usq; ad locum* Sechem Gen. XII. 6. eſt terminus loci, עד היותי *usq; ad eſſe me* Jon: IV. 2. עַד תְּמֻתּוּן *usq; qvò moriemini*, eſt temporis. Qvando v. materiam ipſam intendit, ſubjungitur plerumq; τὸ מְאֹד, ut עד מאד *usq; ad multum, usq; valde*, (4.) In Targum Onkeloſi fruſtra præſidium quærunt, cum non ſolùm dicat regnum non receſſurum à *Judah* עד עלמא *in æternum*, ſive tempus definitum, (ut eſt crebra ſignificatio vocis עולם:) ſed etiam repetit τὸ עד, עד דייתי משיחא *usqve qvò veniat* Meſſias: ut nihil aliud intellexerit Onkelos niſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Regnum *Judah* nunqvam deſiturum planè, anteqvam venerit Meſſias. (5.) Contradicunt Magiſtris ſuis antiqvioribus & ſincerioribus, qvi communiter *donec* reddunt, Aben-Ezræ, R. Moſi Haddarſan, Gerundenſi, Autori *Chiskuni*, R. Iſ. Abrabaneli, ut de recentioribus nihil addam, qvos pro illa expoſitione allegat Men-Ben-Iſrael *l. cit.* Et ſimili modo cadit, qvod de *cadendi* ſignificato in verbo יבא anxiè laborat R. Bahie in ſuo *Sulhan-Arba*, qvaſi de Tabernaculo in Siloh metonymicè intelligendum ſit עד כי יבא שילה *usqvedum* ponatur vel *deſtructum fuerit* Tabernaculum *Siloh*. Qvamvis enim iſtius metonymiæ loci pro locato ſive ſubjecti pro adjuncto crebra ſint exempla, ut *Carmel in mari veniet* Jer. XLVI. 18. i. e. arbores Carmeli per mare adferentur, plura vide in *Rhetor. Glaſſii* p. 35. *ſeqv.* tamen neq; בא *cadere* vel occidere notat, niſi fortè cum de Sole dicitur בא השמש *occidit Sol* ut Gen. XV. 12. idq; rariſſimè: neq; nomen urbis *Siloh* eodem modo ſcribitur, ut *Schiloh* h. l. Geneſ. uti pluribûs erit poſt hæc demonſtrandum.

11. No-

11. Nominis שילה veram ſignificationem ſi ex Vetuſtis Eccleſiæ Doctoribus diſcere vellemus, dandum eſſet credulitati magis, qvam piæ & debitæ in ſcrutandis Scripturis curioſitati. Vox eſt ut unici hujus loci, ità difficillimæ inveſtigationis. Mirabitur omne ævum LXX. Interpretes pro eâ poſuiſſe ᾧ τὰ ἀποκείμενα, *ille cui ſunt repoſita* ſc. omnia. Qvos ſecuti ſunt omnes ferè Patres: licèt apud Euſebium & nonnullos alios legatur ᾧ ἀπόκειται *cui repoſitum eſt* ſc. regnum. Sed qvid non iſtiusmodi παρερμηνείας efficere potuit Ebreæ lingvæ imperfecta cognitio; qvalis certè fuiſſe videtur in LXX. Interpretibus, ut jam olim exiſtimârunt Ph. Melanthon *præfat. in Edit. Baſil.* & Scaliger *in Epiſtolis p.* 91. Vid. in primis Hottingeri *Theſ. Philol. l. I.* Dudum enim in fabulam abierunt miracula iſta, qvæ ex Ariſteæ hiſtoria ſuppoſititia, de tempore, modo & Interpretibus hujus Verſionis tam avidè & credulè amplexi ſunt Joſephus, Philo, Juſt. Martyr *in paræn. ad Gentes* p. 1. & poſt eos in Eccleſia Veteri penè omnes, ſolô, ut videtur, exceptô Hieronymô, cui

 mea-

mendacium, tot ſeculis ante eum ſuſceptum, ſuboluiſſe indubium eſt ex *præf. ejus in Pentateuch.* Et certè, qvicqvid ſit de Autoribus & antiqvitate Græcæ hujus tranſlationis, non obſcurîs indiciîs colligitur uſos fuiſſe Interpretes exemplari qvôdam, in qvo nec vocales adſcriptæ, nec ipſæ conſonantes ſat dextrè expreſſæ fuerint: id qvod apparet ex locis innumeris cum Ebræo Textu, qvalis cum punctis ubiq; legitur, collatis. Vid. Hottingeri *lib. cit.* Bythneri *Lyr. Prophet. David.* Niſi fortè cui potiùs videatur, antiqviſſimam illam verſionem periiſſe, eam verò, qvæ nunc in manibus omnium eſt, adeò mutatam & corruptam eſſe ut omninò alia videatur. Qvod inter Pontificios non inviti fatentur Pagninus *in Iſagog. c.* 9. & Bellarminus *l.* 11. *de Verb. DEi. c.*6. De qvibus, cum alii prolixè egerint, poſſumus eorum labore frui, noſtroq; parcere. Cæterùm, qvis putabit τὰς 70. ſecutos eſſe Chaldaicam paraphraſin, qvæ multò recentior illis, & vix ad primam Eccleſ. Chriſtianæ ætatem aſſurgit; cum illa τῶν 70, annis circiter 300. ante Chriſtum ex

ſti-

ſtiterit ? Fateor utramq; eôdem ſenſu reddidiſſe vocem שילה; *Græcè* qvidem τὰ ἀποκείμενα ἀυτῷ, ſive ut alii legerunt, ᾧ ἀπόκειται : *Chald.* דדילה היא מלכותא *cujus eſt regnum:* ut pateat pro שִׁילֹה utramq; legiſſe שֶׁלֹּה vel שֶׁלּוֹ i. e. אֲשֶׁר לוֹ. Hoc ſaltem inter utramq; intereſt, qvòd illa ellipticè ſenſum repræſentet, hæc plenè exprimat, non tantùm Perſonam nominans, ſed & ejus regnum, qvod in occaſu regni Judaici manifeſtaretur: משיחא *Meſſias, cujus eſt regnum.* Scaliger illam Græcorum ellipſin, ᾧ ἀπόκειται, ſic explet, *in qvo res abſtruſæ & reconditæ ſunt; Animadv. Euſeb.p.*150. Sed nimis, ut ego qvidem cenſeo, incommodè, licèt conveniat cum illo Apoſtoli Coloſſ. II. 3. *In Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis reconditi*, ἀπόκρυφοι. Rectiùs itaq; Onkelos, *cui repoſitum eſt Regnum*, ſecundum illud Matth. XXVIII. 18. *data eſt Chriſto omnis poteſtas in cælo & terra.* Et ſic R Sel. Jarchi, *Schilo*, ait, *eſt* מֶלֶךְ המשיח *Rex Meſſias*, שהמלוכה לו, *cujus erit Regnum.* Sed tota tamen hæc in-

interpretatio Græco-Chaldaica eſt anomala : nam neq; ullibi pro שֶׁלּוֹ poſitum invenitur שִׁילוֹ, multò minùs ut h.l. שִׁילֹה; neq; ulla ratio dari poteſt, cur vocalis brevis & annexum ei dageſch forte in Chirek magnum convertantur. Approbat nihilominus eam lectionem Ang. Caninius *diſqviſit Loc. N. T. Ebr. c.* 11. licèt non niſi infeliciter inde ſeqvatur, qvod ille ſeqvi vult, ità olim ſcriptum fuiſſe, ſc. שֶׁלּוֹ, qvia olim ità legerunt οἱ ἑβδομήκοντα. A lectione enim Interpretum, lingvam, ut apparet, non callentium, ad ſcriptionem in Textu ipſo non valet conſeqventia. Alii ex שַׁי *munus* & לוֹ *illi* שִׁילֹה compoſitum eſſe autumant, ſed temerè; licèt, ſi pateretur Etymologia, huc applicari poſſet, qvod de Meſſia prædicitur Eſ. XVIII, 7. Pſalm. LXXVI. 12. vel potiùs Pſ. LXXII. 10. & Eſ. IX. 6. Atq; hoc placuit Le. Caſtrio *lib. 3. Apologet.* Alii, ut Polanus in *Syntagm. Theol. l. I. c.* 37. à שלום deducunt, eò qvòd Meſſias pacem toti mundo afferret. Sed hoc qvoq; alienum eſſe ab Ebraiſmo,

ut

ut elidatur radicalis aliqva, qvalis eſt ם, dudum oſtenderunt Philologi, qvos inter ut præcipuum nomino Glaſſium in *Onomatol. Meſſ. Prophet.* p. 83. At, qvod magis animum noſtrum ſuſpendit, eſt, qvòd Hieronymo inter Patres Ebr. liter. facilè peritiſſimo hanc verſionem adſcribunt, qvæ nunc in Vulgata legitur, *donec veniat mittendus*, ſive *qvi mittendus eſt*, qvaſi is in Textu inveniſſet שָׁ־וֹחַ. Et hæc qvidem res inter alias occaſionem dedit Papiſtis vociferandi, corruptum eſſe à Judæis Textum Ebræum. Vid. Gord. Huntlæi Scoti Controv. I. c. 10. Qvamvis nec immunem ab hâc ſuſpicione animum habuerit Flacius *in Clav. Script. P. I. col.* 1143. Sed multa ſunt, qvæ contra periculoſam hanc ſententiam militant, (1.) qvod tranſlatio LXX-Viralis, qvæ Hieronymianâ longè antiqvior, ignoraverit hanc lectionem, eam verò, qvæ hodie exſtat, pro ſuo modo exprimere voluerit, (2.) Qvòd etiam paraphraſis Onkeloſi, ante Hieronymum facta, indicet vocem שִׁילֹה eô tum tempore exſtitiſſe; (3.) Qvòd vox שלוה non

ma-

magis offendere potuerit Judæos, qvàm שילה: imo ex hâc nobiliora contra eos argumenta de Chriſto, qvàm ex illa haberi poſſint. (4.) Qvòd non tantùm dubium ſit, ſed nec à Pontificiis ipſis controvertatur, Vulgatam verſionem, qvalis hodie eſt, non eſſe ipſam Hieronymi, ad fontes correctam. Præterqvam enim qvôd in eâ, uti jam legitur, multa planè diſcedant ab Ebraicâ Veritate, multa etiam ex Verſ. τῶν ό adjecta ſint, ut Gen. IV. 8. Hieronymianam non eſſe Vulg. Verſionem agnoſcunt Pagninus *in Gramm. Ebr.* Driedo, Bellarminus *de Verb. DEI l. II. c.* 11. alii. (5.) Qvòd, licèt Hieronymus ità reddiderit, qvaſi ſcriptum inveniſſet שלוח, non ſtatim idcircò ſeqveretur ita ſcriptum fuiſſe, qvemadmodum ex ejus interpretatione ſcriptum cuiqvam videri poſſit. Nam qvis negabit Hieronymum potuiſſe qvid pro qvo legendô errare, vel aliter bono cum Homero dormitare, qvod non rarò in aliis obſervatum eſt; vid. Glaſſium *Orat. de Ebr. ling. neceſſ. & utilit.* p. 527. *Phil. S.* Vel, ſi hoc de tam induſtrio fontium ſcrutatore nimis durum dictu videatur.

tur, at non abſimile vero eſt, eum hìc non tam ad vocis etymon, qvàm ad ſenſum & ſcopum Vaticinii reſpexiſſe, qvòd de Meſſia *mittendo* ageret; ſicuti & illud Moſis Ex. IV. 13. *mitte qvæſo* Domine, *per manum* ejus qvem *mittes*, de Meſſia multi ex Patribus explicârunt. Qvò pertinet illa P. Fagii de hâc interpretatione, deq; *paraph. h. l. Chald.* ἐπίκρισις: *Videmus*, ait, *Veteres illos Patres in gravioribus iſtis cauſis ſemper ad Chriſtum reſpexiſſe, ut* Jacobus *Gen. XLIX. v.* 18. At non credibile eſt Judæos illud שלוח in שילה mutâſſe; cum etiam nunc Judæi שלוח ambabus manibus accipiant, & de Nebucadnezare, qvi ad Templum deſtruendum *mittendus* erat, intelligi velint. Vid. Galatini *de A. C. V. lib. IV. c.* 4. Sed & ſæpè nobis laudatus & φιλολογώτατος Glaſſius noſter, pro integritate fontium contra Bibliomaſtiges Pontificios diſputans *Philol. S. Lib. I. tract.* 1. clariſſimis documentis evicit, nullum oſtendi poſſe tempus, qvô facta iſthæc corruptio fuerit, neq; ante adventum Chriſti, neq; poſt eundem, vel ab ejus adſcenſione usq; ad tempora Hieronymi,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

vel à morte ejus usq; ad compoſitum Talmud, vel poſt conſcriptum Talmud ad noſtra usq; tempora.

12. Propius itaq; ad Etymologiam vocabuli שִׁילֹה accedunt, qvi compoſitum dicunt à שִׁיל i. q. שִׁלְיָה (*ſecundinis*, ſeu ſacculo illo, in qvo manet infans in utero matris, qviq; in ſcripturis aliqvando pro Embryone ſumitur) & ſuff. pronomin. ה pro ו poſito: ut adeo שִׁילֹה nihil aliud ſit, qvàm בְּנוֹ *filius ejus* ſc. Judæ. Huc ſine dubio reſpexit, alter, ſed non ita antiqvus, Paraphraſtes Jonathan, qvi ità habet: *donec veniat* מַלְכָּא מְשִׁיחָא זְעֵיר בְּנוֹי *Rex Meſſias parvulus filiorum Ejus*. Et ſic Kimchius vocem exponit *in lib. radic.* ac Aben Ezra *Piruſch in h. l.* licèt uterq; vaticinium de Davide intelligat. Verùm R. Bechajus eidem etymologiæ inſiſtens de Meſſia exponit *Comment. in h.l.* ſic ſcribens: שילה בנו שיולד משלית אשה כדרך כל הנולדים i. e. *Schiloh. i.e. filius ejus, qvi naſcetur ex ſecundinis mulieris, juxta viam omnium, qvi naſcuntur, eſtq;*

de-

deſumta vox ex ſignificatione vocis בשליתה *Deut. XXVIII. 57. Qvòd autem potiùs dixit* שילה *qvàm* בנו, *per id indicat* Jacob *ſe de Meſſia peculiariter loqvi.* Atq; optimè qvidem congruit hæc expoſitio tum primæ promiſſioni in Paradiſo factæ Gen. III. 15. tum reliqvis de Nativitate Meſſiæ omnibus, ipſiq; complimento: ut ideò non diſplicuerit B. Luthero *Comm. in Gen. h. l.* nec Piſcatori, nec Tremellio-Junio, nec Galatino, qvi & ex ſuffixo ה *fæmin.* qvod habet punctum cholem ſuff. ו maſculini, aliud myſterium grandius captat, nempe de Matre Domini Virgine, & ſimul de Judah, ex cujus familia naſciturus Meſſias prædicitur. Ubi tamen obiter monemus, ea, qvæ Galatino adſcribimus, rectiùs deberi vel Raimundo Martino *Pugionis Chriſtianorũ* Autori, ut indicârunt Buxtorfius uterq;, Pater *Diſſ. de Decal.* §. 74. Filius *de Antiqv. Punctor.* & Joſ. Scaliger *Epiſt.* 241. (licèt hic pro Raim. Martino alium Raimundum cognom. *Sebon* Dominicanum nominet, qvi tamen altero illo Raimundo, 100 annis eſt junior) item Poſſevinus *in Apparatu*:

Vel

vel cuidam *Porchetto de Sylvaticis* Genuenſi Carthuſiano, qvi notante Morino *Exerc. Bibl. l. I. Exerc.* 1. *c.* 2. *p.* 19. librum ſcripſit, cui titulus: *Victoria adv. impios Judæos*; & è qvo omnia de Verbo ad Verbum deſcripſerit Galatinus. Excuſus eſt hic Porchetti Liber Pariſiis Ao. 1520. procurante Auguſtino Nebienſi Epiſcopo, qvi in *Præf. præfixâ* ſe ſchedulas Porchetti magnô redemiſſe teſtatur. Laudant qvoqve hunc Porchettum Sixtus Senenſis in *Biblioth.* & Joh. Driedo *l.* 2. *de tranſlat. ſcript. arg.* 8. Qvanqvam, ſi credimus Morino *lib. cit.* à Raimundo permulta mutuatus eſt Porchettus, ſed ità, ut illud ipſe nec diſſimulet *in præfat.* Qvod ſi feciſſet Galatinus, jam plagii incuſari non debuiſſet. Qvidqvid v. id ſit, Autor ille *Pugionis Fidei*, & qvi eum malâ fide exſcripſit Galatinus, nimiâ poſterorum ſuiqve fiduciâ, nec ſatis acri judicio, magnô optimæ cauſæ detrimento, dum falſa ſcripta laudârunt, veritatis rei atq; inania ſecuti valida transmiſerunt, qvod eſt judicium doctiſſimi G. Gaulmyn in *Epiſt. ad Joſ. Voiſin* præfixâ *Theologicæ Judæor.*

pag.

*pag.*43. Sed nunc iterum ad rem. Optimè qvidem, ut diximus, ſucceſſiſſet prædicta expoſitio, niſi obſtitiſſet, qvòd Ebræa lingva talem apocopen ignoret, qvalis admittitur in שיל pro שילה, & qvòd vox iſta ſic à fine truncata nullibi in reliqvâ V. T. ſcriptura occurrat. Aliàs enim non deſunt exempla ה affixi pro ו maſcul. poſiti, ut in prox. verſic. עירה *pullum ejus* & סותה *operimentum ejus*, pro עירו, סותו, ità qvoq; alibi, Pſ. XLII. 9. שירה *canticum ejus*, Gen. XIII. 3. אהלה, Ezech. XII. 14. עזרה *auxilium ejus*, *&c.*

13. Proxima autem verò & nobiliſſima ſine dubio inter omnes expoſitiones eſt illa, qvam cum Luthero Forſterus, Schindlerus, Avenarius, Glaſſius, Valtherus & noſtrates Theologi longè plurimi amplexi ſunt; qvod ſc. vox שילה veniat à verbo שלה *tranqvillus, pacificus, felix, fortunatus fuit*, ſitq; formæ קיטר, qvod *fumum* Gen. XIX. 28. & קימש qvod *urticam* Oſ. IX. 7. ſignificat, à rad. קטר & קמש.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

קמש. Et ferè eadem eſt forma יִסּוֹר *eru-ditio*, גִּבּוֹר *fortis*, niſi qvòd hìc ſit *chi-reck parvum* cum ſeqv. *dageſch*, locô *Chirek magni* ut illic. Cùm ergo non obſtet analogia grammatica, qvò minùs à שִׁלֹה derivetur: utiq; ſignificatio vocis apprimè convenit Meſſiæ, qvòd ſit *fauſtus, felix*, tranqvillitatis animæ & pacis ſpiri-tualis Autor, unô verbô: Salvator. Non qvidem dicemus latinas Voces *ſalus*, *ſal-vare* ex hoc verbo Ebræo primam duxiſſe originẽ, qvod ſpecioſius fortè qvàm certi-ùs aſſeritur à Guicharto *in Harm. Etymol.* ad vocem שלה, qvamvis dudum ante eum hoc aſſeruerit Melanthon, ſi credimus Abr. Sculteto *in Delit. Evang. c. I. p.* 19. Nec movebimus hìc litem ulli, *Salvator-ne* rectiùs qvàm *Servator* dicatur Chri-ſtus? de qvo tamen non ſine cauſa dubi-tant Eruditi: cum Servatores multi nomi-nentur in Hiſtoria tam Sacra qvàm profa-nâ; minus autem ſit *Servare* qvàm *ſalu-tem dare*: qvandoqvidem etiam beſtias imò Dæmones ſervet Chriſtus, alioqvi in nihilum ituros: at non ſalvet. Nec igno-

ramus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

ramus vocem Græc. σωτὴρ viſam fuiſſe Latinis antiqvioribus auguſtius qvid ſignificare, qvàm ſignificat Lat. *Servator*, ut ſuô ævo dixerit Tullius *L. II. in Verrem: Hoc* (ſc. vocabulum *Soter*,) *qvantum eſt? ità magnum, ut latino uno verbo exprimi non poſſit.* At poſt Tullii ævum vocem *Salvatoris* non incognitam Romanis, patet tum ex Arnobio, Lactantio, Cypriano, Hieronymo, Auguſtino, (licèt hic de ejus latinitate ſubdubitet *Lib. III. de Trinit. c.* 10.) tum ex marmoribus antiqvis apud Gruter. *Inſcript. p.* 19. & ex Plinio *Hiſt. Nat. l. XV. c.* 11. de qvâ re ità accuratè adv. Voſſium egit celeberrimus noſter Borrichius in *Cogitat. de Var. Ling. lat. Autor.* aliis ut omnibus hâc parte otium fecerit. Qvicqvid autem ſit de Latio: certè Eccleſia tanta agnoſcit Chriſti erga ſe merita, tamq; omnibus beneficiis humanis, qvantacunq; etiam fuerint, excellentiora, ut ad ea exprimenda vel in titulo *Salvatoris* majus qvoddam pondus inveniſſe videatur, qvàm in illo *Servatoris*: licèt pro utroq; Σωτῆρα Græci dixerint. Qvam qvidem differentiam agnoſcere noluit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

luit Gent. Hervetus *ad Clem. Alexandr. Pædag. l. I. c.* 12. agnoverunt tamen alii non minoris notæ Scriptores, Dausqverus *Obſervat. ad Baſil. Saleuc. orat. de Jona*, Baronius *ad Martyrolog. Rom. M. Novemb. d. IX.* & Abr. Sculretus *l. cit. p.* 17. Eqvidem Patriarcha, ut uno nomine Filiis ſuis repræſentaret, qvis, poſt collapſam Judæorum felicitatem temporalem, veram iis & æternam reducturus eſſet felicitatem ac ſalutem, nullum adhibere potuit convenientius vocabulum, qvàm hoc שילה. Qvippe talis erat *Salvator* noſter, pacis & proſperitatis noſtræ Autor, felix & Auguſtus, cui omnia debebant proſperè ſuccedere adv. mundi ſapientiam & potentiam, contra peccatum, mortem & Diabolum, omnesq; adeò portas inferorum, ſecundùm illud Eſ. LIII. 10. Ille non tam carnales qvàm ſpirituales populi ſui hoſtes aboliturus erat Epheſ. II. 14. 15. 16. & præcipuam tranqvillitatem, qvæ eſt in conſcientia, donaturus Rom. V. 1. VIII. 1. Is deniq; perpetuam qvietem iis procuraturus, qvi ipſi adhærebunt Ebr. IV. 10. Unô verbô: *Suos è manu inimicorum omnium*

um liberaturus, ut ſine metu ipſi ſerviant Luc.I.74. ut hoc maximè reſpectu *Princeps pacis* dicatur Eſ.IX.6. Qvæ omnia entheâ mente complexus B. Lutherus in ſua verſione Germ. vocem שילה der Heldt interpretatur, rationemq; addit: Weil Er würde glückſelig ſein / und friſch durchdringen mit Geiſt und Glauben / daß zuvor durch Werck ſaur und unſelig Ding war / darumb neñen wir Siloh einen Helden. Nunc ex tot, qvas recenſuim9 (& fortè plures recenſeri potuiſſent) interpretationibus, qvid, obſecro, eſt qvod eligant Judæi? Singulæ Meſſiam prædicant, non eſt niſi in modo diverſitas. Sive enim שלו שילה *Eum* dixeris, *cui repoſitum eſt regnum*, in qvem id qvadrat melius; imò, ſi regnum Judaicum intelligis, qvod deſtructô per Romanos temporali illo incipiet, & cujus cives erunt etiam Gentiles, in qvem, inqvam, niſi in ſolum Chriſtum qvadrat? cujus regnum erit æternum & univerſale Pſalm. LXXII. 10. & potentiſſimum; qvippe de qvo ut *Filio hominis* in carnem venturo prædictum eſt à Daniele, qvòd *Ei datus ſit dominatus, gloriaq́ & regnum,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

ut omnes populi, nationes ac lingvæ ei ſerviant, & hic dominatus ſit perpetuus, qvi non ceſſabit, & regnum qvod non deſtruetur, c. VII. 14. Conf. Matth. XXVIII. 18. Phil. II. 9. Sive שלום & *pacis Autorem* vis? qvis hic niſi Chriſtus? Sive שלוח *miſſum*, qvis niſi Chriſtus, qvem ἐξαπέστειλεν ὁ Θεός? Gal. IV. 4. Sive שי לו i. e. cum *cui munera* debeantur; cui rectiùs id qvàm Chriſto competit, juxta dicta nuper allata? Sive malis שילה *felicem, proſperum tranqvillum* & tranqvillitatis Autorem, qvis eum titulum meliore ſibi vendicabit jure, qvàm Meſſias noſter, uti jam declaratum eſt? Nihil proinde noſtra intereſt, qvid hic de Saule, Davide, Jeroboamo, Nebucadnezare & de qvo non? ineptiunt nonnulli ex Rabbinis recentioribus. Suffecerit, aliqvot ex eorum cætu eſſe longè vetuſtiores, & haud contemnendos Magiſtros, qvi ſaniorem mentem habuerint. Kimchius & Jarchius Targum ſecuti expreſſè Meſſiam indigitant. Ipſum Talmud in *Cod. Sanhedr.* teſtatur: *qværenti R. Jo-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

R. Jochanan : Meſſiæ qvod eſt nomen? reſpondiſſe diſcipulos R. Schela, שילה, *juxta illud, donec veniat Schiloh. Scholares verò R. Janna dixiſſe,* ינון *Jinnon, juxta illud* Pſ. LXXII. 17. ינון שמו *Soboleſcet nomen ejus, à* נין *filius. Alios autem dixiſſe, Chanina, juxta illud: non dabo vobis* חנינה *gratiam, i.e. Meſſiam qvi gratioſus vocabitur*, &c. Utiq; antiqvioris hæc Synagogæ Confeſſio, novam facilè confundet. Et fruſtra Julianus impius apud Cyrillum Chriſtianis objecit diverſitatem interpretationum vocis שילה, qvaſi inter eos de re ipſa eſſet diſſenſus. Contrarium enim ex iis, qvæ diximus, pateſcit. Uti & ſummæ impudentiæ fuerit in Salmerone Jeſuita, qvòd *Proleg. IV.* ut aliquo exemplô monſtraret Prophetarum de Chriſto vaticinia, ipſosq; adeò fontes corruptè fluere, effutire auſus ſit, vocem hanc שילה nihil ſignificare.

14 Diſpiciendum nunc eſt de ultimâ Vaticinii parte, in qvâ magna eſt verborum emphaſis ad ſignificandum illum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

qvi *Schiloh* appellatur: ולו יקהת עמים.
Ubi *primò* vocem fæmin. יקהת variè exponunt Varii, ſed ità tamen, ut, tanqvam in centro uno multi radii, ità in deſcriptione Meſſiæ diverſæ iſtæ expoſitiones concurrant. Sive enim cum Chaldæo Onkeloſo וליה ישתמעון עממיא *ei obedient populi*, à qvo paulum differt Jonathan: וליה עתידין דישתעבדון כל מלכותא דארעא *& ei ſervient univerſa regna terræ*: ſive cum τοῖς LXX. reddas: αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν *ipſe exſpectatio gentium*, qvos ſeqvuntur Aqvila, Symmachus, Theodotio, Hieronymus, deducentes vocem יקהת à rad. קוה *Exſpectavit*, licèt ex illâ nulla talis forma in Textu usqvam appareat: ſive cum Luthero noſtro, utroq; Oſiandro & Jarchio *aggregationem* intelligas: palam eſt omnia Chriſto apprimè convenire, & in eo omnes Interpretes optimè conſentire. Qvamvis *obedientiam* potiùs reddiderim, qvàm *exſpectationem*: *aggregatio* verò populorum vel ipſa eſt obedientia, vel ejus conſeqvens. Formalem vocis ſignificatio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

tionem tradidit Kimchius in *Lib. Radic.* qvòd ſit משמעת וקבול מצוה *obedientia & acceptio mandati*; utq; ſenſus verborum וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים ſit: אליו ישמעון העמים לקבל עליהם מה שיצום *Ei obedient populi, ut dictum ſibi putent, qvod iis præcipiet.* Vult etenim annoſus Vates, paulò ante adventum Chriſti, vel ſub, vel poſt eundem, nullos futuros in populo Judaico Reges aut Principes indigenas, nullos Legislatores aut Doctores legitimos: ſed mox affuturum è cœlo, qvem diu exſpectaverant, Regem æternum & Doctorem magnũ atq; infallibilem, cujus ex ore penderent, & cui adhærerent omnes tam Judæi, qvàm Gentiles, ut veram viam ſalutis & liberationis ex captivitate ſpirituali perciperent. Qvæ qvidem omnia & qvoad rem ipſam, & penè qvoad verba in Chriſto noſtro adimpleta cognoſcuntur. Qvod enim idem Spiritus, qvi per Jacobum locutus eſt hæc verba, per Moſen Deut. XVIII. 15. confirmaverat, de Propheta illo magno, qvem DEus ſuſcitaturus erat Iſraëli ex interiori ipſius & è fra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

tribus ejus, qvem audiret omnis Iſraël; id idem ſpiritus voce cæleſti de Chriſto teſtatus eſt, qvamprimùm is, à baptismo ſuo recens, Miniſterium ſuum in his terris auſpicaretur, Matth. III, 17. Luc. III. 22. Conf. Act. III, 22. 23. De hoc illuſtriſſimo Meſſiæ charactere in ſeqventibus plura dicturi ſumus. Sed objiciunt Judæi, gentiles paſſim in Scriptura גּוֹיִם appellari, ut diſtingverentur à populo DEI, hic verò non de גּוֹיִם loqvi Patriarcham, ſed de עַמִּים, ut ad ſolum populum Judaicum hæc pertinere videantur. Futilis herclè objectio, & qvam craſſa ignorantia divinæ ſub diverſo fædere οἰκονομίας peperit. Sunt & manent גּוֹיִם, qvæcunq; gentes DEum Iſraëlis ignorant, & qvamdiu ſunt in eo ſtatu, qvem deſcribit Apoſtolus Eph. II, 12. ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραήλ, καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, &c. At ſi qvi credunt hunc ſtatum Gentilium futurum fuiſſe æternum, ii ſolvent omnem promiſſionum divinarum vim, & in hoc vaticinio, qvod exponunt, fallaciam elenchi committent. Si namq; ſolum Judaicum populum

lũ huic felicitati adſcripſiſſet Vates, qvid (1.) opus habuiſſet in plur. dicere עמים, cum potiùs ex conſvetudine Scripturæ, ubi de ſolis Judæis agitur, in ſing. עם dixiſſet? Ergo non de uno populo, ſed de multis loqvitur, ut oſtendat latius & auguſtius futurum Meſſiæ ſpirituale regnum, qvàm fuerat Judæ regnum terrenum. (2.) Per converſionem ad Meſſiam, qvæ antea remotæ fuerant à DEo gentes. ideoq; à DEo dicebantur לא־עמי *non populus meus*, appellantur à DEo ità promittente עמי *populus meus* Hoſ. II. 23. & (3.) omnino ad Gentes qvoq; ſe extendebat benedictio illa in ſemine benedicto Gen. XII. 3. XXII. 18. imò (4.) ea de cauſa Meſſias fuit *exſpectatio Gentium* Hag. II. 8. non qvòd Gentibus per naturam id deſiderium fuerit Eph. II. 12. ſed qvòd per Evangelium illis qvoq; ſalutem deſtinaverat DEus, & ab illis laudem ſuam præparaverat Eſ. LX. cap. Et nonne (5.) de poſteris Japheti, Gentilibus, per Noah prædixerat DEus, qvòd vellet *allicere* eos, *ut habitarent in tentoriis Sem*, i. e. populi DEI Gen. IX. 27. i. e. ut nihil differrent à Judæis,

unum futuri cum iis in fide JEſu Chriſti, & idem ſemen Abrahæ ſecundum promiſſionem Gal. III. 28. 29. Nec (6) aliter intellecta fuit prophetia Hoſeæ in Synagoga Veteri; qvando ſic ait propheta c. III. 5. *Iſraël, poſtqvam multis diebus caruerit Rege & Principe, Altari & ſtatua, Ephod & Teraphim, reverſus qværet Jehovam DEum ſuum & Davidem Regem ſuum; & pavidi accedent ad Jehovam & bonitatem Ejus.* Certè qvis ille eſt, qvi & Jehova eſt & David appellatur, niſi Chriſtus, cujus utraq; natura in una perſona ſic indicatur? Ut rectè ſuper hæc verba annotârit Jeroſolymitanus: *qværent* ſervire Domino ſuo, i.e. דִישְׁתַּמְּעוּן לִמְשִׁיחָא בַר דוד מלכהון *obſeqvi Meſſiæ filio Davidis Regi ſuo.* Fuit autem hæc prophetia partim jamdudum adimpleta, cum per miniſterium Apoſtolorum, virtute Evangelii, tantus Judæorum numerus Chriſto acceſſit, tanqvam Gentis qvædam primitiæ ſanctificatæ Act II. 41. partim adhuc complementum ſuum exſpectat in reliqviis Iſraëlis, qvibus janua hæc ſalutis aperta manet, ut per eam *ingrediantur, poſt pleni-*

tudinem gentium Rom. XI. 25. Conf. Eſ. X. 22. XLII. 6. 7. Rom. IX. 27. Qvid itaq; ſit עמים in textu noſtro, explicat Eſaias c. II. 3. nempe *multi* illi *populi*, ſive multi ex omnibus populis, qvi in noviſſimis temporibus (qvæ ſunt tempora Meſſiæ, ipſis fatentibus Rabbinis) confluent ad Eccleſiam Chriſti, non tantùm Judæi ſecundùm carnem, ſed & Judæi ſecundùm ſpiritum i. e. Gentiles ad fidem converſi, Rom. II. 28. 29. Et de utrisq; tam gentibus qvàm Judæis apertè Eſaias, vel potiùs DEus apud Eſaiam c. XLIX. 6. prædixit, qvod *ſervum ſuum conſtituerit* Meſſiam, non tantùm *ad erigendum Tribus Jacobi*, ſed & *in lucem gentium, ut eſſet ſalus DEi usq; ad extrema terrarum.* Conf. Act. XIII. 47. Et ſic totam illuſtriſſimæ hujus juxta ac antiqviſſimæ prophetiæ Jacobeæ ſeriem perluſtravimus, & ex Scriptura expoſuimus. Qvæ verò contra totam vel partes ejus, ſenſumq; qvem dedimus genuinum proferunt Judæi recentiores vel Judaizantes Expoſitores Chriſtiani, ſeqventi diſcurſu diſcutiemus.

SECTIO II.

Argumentum.

(1) Examinantur variæ τοῦ Schilo interpretationes Judaicæ (α) de Saul, an inauguratus in Schiloh? an abſtulit ſceptrum à Juda? qvodnam diſcrimen inter Schiloh Urbis & Schiloh nom. Meſſiæ? (β) de Jeroboamo, (γ) de Nebucadnezare, an is ſceptrum Judæ ceſſare fecit? qvis ſtatus Judæorum in captivitate? qvid נשיא & פחה & ראשי אבות? (δ) de Moſe: qvid apud Prophetas אחרית הימים? proſperane an triſtia fata prædicuntur Jehudæ? (ε) de Meſſia: Cabalæ gematricæ teſtimonium: Exſecrationes Judaicæ nominis JEſu: qvis uſus Cabalæ adv. Judæos? (2) Qvòd Schiloh ſit Meſſias patet ex contextu; יקהת עמים obedientia (α) Spiritualis, ubi qvale Regnum Chri-

Chriſti? (β) Univerſalis, *gentium æqvè ac Judæorum. Abarbanelis de ea re confeſſio. Meſſiæ proprius character in iis verbis. Qvid Radix Iſai Eſ. XI. 10. Qvid* Vexillum gentium *ibid. & Eſ. LIX. 19. Qvid heîc* כנהר צר? *Vocatio gentium ex Gen. XXII. 18. oſtenditur contra Judæos: ubi explicatur vox* התברכו. (3) *Qvòd Patriarcha alia de Juda ejusq; Tribu, alia de Schilo diſtincte pronunciet. In* vite & generoſo palmite *adumbratur Eccleſia Chriſti.* Aſina & pullus *figura Judæorum & gentium. Qvid* vinum & lac *in ſeqventibus? Allegoriam in his verbis non poſſe evitari.* (4) *Qvod voce* Schiloh *exprimatur is, qvem Jacobus animo ſuo impreſſerat, dictus* (α) Angelus Redemptor, *Gen. XLVIII. 16. Qvid ibi* גואל *ex Gen. XXVIII. 15. deducitur: qvid illic* non deſe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

deſeram te? *qvid* Goël *Ebræis* ? (β) Fortis Jacobi; Paſtor & lapis Iſraëlis *c. XLIX. qvare* ? (γ) Salutare DEI. *Jeroſolymitanus Paraphraſtes laudatur. Cur Chriſtus dicitur ſalus? Cur* σωτήριον Θεοῦ ? *Qvis Simeon, & qvomodo notus Judæis?*

1. Huc usq; genuinam & naturalem totius vaticinii ἐπίλυσιν verumq́; ſenſum ex ſingulis ejus partibus ſeorſim conſideratis, & inter ſe collatis exhibuimus. Nunc ſeqvitur, ut qvæ ad hujus tam claræ tamq́; per ſe illuſtris de Meſſia noſtro prophetiæ lucem offuſcandam objicere ſolent Judæi, diſtinctè breviterq́; diſcutiamus. Infinita qvidem in contrarium nugantur, in qvibus, ſi reſponſione digna eſſent ſingula, infinitus penè conſumeretur labor. Nos, qvi brevitati nos addiximus, palmarias eorum objectiones, in qvibus ulla contradictionis vis conſiſtit, datâ operâ diluemus. *Primò* ajunt, *non certum eſſe, qvòd per Schilo noſter Meſſias intelligatur,* *poſ-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

poſſe enim eadem veriſimilitudine nomen iſtud aliis convenire. Hic, qvamvis ſufficeret, ſi diceremus, à poſſe ad eſſe conſeqventiam non valere; neq; enim tam qvid poſſit ullô modô ſignificare qvàm qvid verè ſignificet, ſcire opus eſt: hoc tamen ut aſſeqvamur, non poſſumus, qvin conjecturas Judæorum, qvàm bene ſuccedant, ad examen vocemus. Alii dicunt per *Schilo* Saulem Regem deſignari, qvòd is in Silo Regni diadema ſuſceperit, ubi præſens tum Arca Domini erat. At falſum id omne eſt. Nam (1) Arca fœderis, qvando regnum adeptus eſt Saul, non erat in Siloh, ſed dudum ante inter ſpolia Iſraëlis, cruentô præliô fuſi & devicti à Philiſtæis, unà cum filiis Eli Pontificis, Hophni & Phinees, ex oppido Siloh, ubi 350. penè annis qvieverat, ablata 1 Sam. IV. nunqvam ad eundem locum rediiſſe legitur. Data tunc Iſraëli lamentandi cauſa, qvòd Deus *repuliſſet tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, in qvo habitavit inter homines, & tradidiſſet in captivitatem virtutem Iſraëlis, & pulcritudinem ejus in manus inimici*, Pſ. LXXVII. 60. (2) Nec in

in Silo regni diadema ſuſcepit Saul, ſed in Miſpa 1 Sam.X.17.24,25. & confirmatus fuit in Gilgale 1 Sam.*XI*. 14.15. Atq; cùm Schilo non ante venturus prædicitur, qvàm receſſerat ſceptrum à Juda, monſtrent, (3) qvomodo hoc ſceptrum à Juda ablatum fuerit per inaugurationem Saulis. Erat qvidem hic ex tribu Benjamin; ſed ante eum nullum in Tribu Juda ſceptrum exſtiterat, ut ex illa in aliam Tribum tranſlatum tunc dici poſſit. Etenim ante Saulem, qvi primus Regium cum poteſtate titulum in omnibus XII. Tribubus uſurpavit, non ab una Tribu Juda denominatam Regni Iſraëlitici Majeſtatem, nec penes illam ſolam reſediſſe, aut ex ea ſola natos ad jus diadematis ſive Reges ſive Principes & Judices ſupremos legimus. Primus adeò David in ſuam gentem & familiam hoc decus Majeſtatis & univerſalis in populum DEI regiminis, divina voluntate introduxit: cujus ſub Nepote Roboamo, poſt fatalem X. tribuum ſeceſſionem, ſuper tribus Juda & Benjamin, adhærentibus etiam Levitis, regnante, titulus Regni Juda, ſpeciali denominatione à potiore

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

tribu facta, primò omnium locum habuiſſe cognoſcitur. (4.) Si de Saule hæc prædicta eſſent, admitteretur *tum* inaudita Ellipſis *ejus nominis* qvod ſcire maximè intererat Filiis Judæ, *tum* inuſitata anomalia Grammatica in verbis יבא שילה, qvæ tantundem ſignificarent, *ac veniet ad Schilo*, qvod lingvâ Eberina potiùs dicendum eſſet יבא לשילה vel שִׁילֹהָה per ה locale ut ירושלימה, תרשישה *ad Tarſum, ad Jeruſalem*, &c. Omitto, qvòd nomen Urbis שִׁלֹה ſemper absq; י ſcribatur, & qvidem apud Jeremiam c. VII. 12. 14. XXVI. 9. cum ו loco ה finalis legatur. Deniq; ut ut concederetur שילה eſſe nomen loci, ineptiſſimum tamen eſſet dicere de loco qvòd *veniat*. Scio qvidem nonnullos Judæos verbum בא de *occaſu* exponere, qvaſi ſenſus eſſet: *non auferri ſceptrum à Juda, donec occidat Siloh* i. e. locus eſſe deſinat, ſanctuariô divino deſtitutus. Sed de occaſu ſeu abitu Solis ità qvidẽ hoc verbũ uſurpari fateor Gen. XV. 12. XXVIII. 11. alibi, de ruina verò urbis aut ſtatus cujusdam uſurpari à S. Scriptura non memini.

ni. Simile verò eſt commentum *R. Joſeph*, *R. Abraham & R. Bechaji*, de Davide, qvaſi ſenſus Vaticinii eſſet: non deficiet ſceptrum de Tribu Juda, usqvedum intereat Siloh, poſt cujus devaſtationem David Regnū Iſraëliticum erit conſecuturus. Cujus itidem commenti abſurditas ex modò dictis apparet.

2. Alii Jeroboamo I. hæc adaptare conantur, qvaſi is, itidem in Siloh unctus, abſtulerit ſceptrum à Juda. Sed mera hæc eſt ἀνιστορησία. Qvippe neq; hic in Siloh unctus legitur, ſed in Sichem, civitate tribus Ephraim, communibûs X. tribuum ſuffragiîs deſignatus Rex. Vid. 1 Reg. XII. 1. 20. 25. Et tantum abeſt, Jeroboamus conſpiratione tribuum facta tranſtulerit à Juda regnum, ut potiùs hac occaſione regnū Roboami, in Juda & ſociis Tribubus Levi ac Benjamin reſiduum, à tribu Judah ut potiore appellationem ſortiretur. Nam & Benjamin Judæ adhæſit, ut cernitur 1 Reg. XII. 21. 23. & Levitæ partim religionis amore ducti ſecundùm vaticiniū Moſis Deut. XXXIII. 9. partim etiam vi & aſtu Jeroboami ex tribubus X. reliqvis depulſi

ſacris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

ſacris & legibus regni Judæ obnoxii fuerunt 2 Par. XI. 13. 14. 16. Nec obſtat, qvòd dicatur 1 Reg. XII. 20. *neminem ſecutum eſſe domum Davidis præter tribum Jehudæ ſolam*: cum per πρόληψιν hiſtoricā ſolius Jehudæ nomine hic veniant aſſociatæ tribus, qvibus poſtea commune id nomen cum tribu propriè ſic dicta fuerit; ſic Mardochæus, licèt Benjaminita eſſet, tamen *Vir Judæus* dicitur Eſth. II. 5. 3. Alii ad *Nebucadnezerem* Babyloniæ Regem verba hujus vaticinii detorqvent, qvia is, ajunt (alludentes ad vocem שילה) eſt ille שָׁלוּחַ *mittendus* ſeu *miſſus*, qvi captâ Jeroſolyma & Templô deſtructô maximam Judæorum partem cum Rege ſuo Babylonem deportavit, adeoq; ſceptrum Judaicum fregit vel abſtulit. Atq; hoc cavillum ipſis, qvia aliqvam habet veritatis ſpeciem, maximè placet. Sed fruſtrà hæc opponunt. Nam, licèt per Babylonios valdè tunc afflictæ Judæorum res fuerint, & imminuta poteſtas, Deo non diutius ad graviſſima eorum ſcelera connivente: nunqvam tamen ita planè concidit omnis Majeſtatis Judaicæ fa-

es aut oppreſſa Legum S. autoritas iſto in exilio fuit, ut ſceptrum tunc planè receſſiſſe a Judâ & Legiſlator a medio pedum ejus dici poſſit. *In exilio enim miti faciliq;* (utor verbis Cunæi de Rep. Ebr. l. I. c. 15.) *tanqvam in patriis ſedibus vixere. Ac dein, circumacto ſeptuaginta annorum orbe, redditi Palæſtinæ ſunt, & Jeroſolymam Templumq; ædificârunt, conſtitutaq; iterum reſpublica eorum eſt.* Certè, in ipſa captivitatis miſeria, habuere Judæi perpetùo ſuum רֹאשׁ גָּלוּתָא i. e. αἰχμαλωτάρχην ſeu *Principem exulum captivorum*; id qvod ex hiſtoria S. & libris Ezræ oſtenditur; & ſoluta captivitate non defuerunt ipſis Judæi Principes, inter qvos ſceptrum ſeu ſumma Majeſtas irruptâ ſerie a Zorobabele ad tempora Herodis Magni ſervabatur: qvod vel ex ipſorum Judæorum ſcriptis authenticis demonſtrari poteſt. Vel ſolus hoc eos docere poteſt Maimonides *præf. in* Jad *Hakkaſaka.* Unde & Talmudici Autores in *lib. Sanhedrin c. Dine Mammonoth.* per *ſceptrum* h. l. intellexere *principes exulum*, per *Legislatorem* verò filios i. e. diſcipulos Hille-

lis, eximii apud Judæos Doctoris, e cujus ſchola prodiiſſe crediderunt Jonathanem Uzielidem Paraphraſten Chaldaicum & Simeonem Juſtum, de qvo Luc. I. Vid. Rabb. David Kimchi *in Hagg.* Qvod & Targum *Sir Haſſirim ad c.* 6. *v.* 1. teſtatur. Eqvidem qvanta fuerit poteſtas Zorobabelis, qvi & *Scheſchbazar* nuncupatur Esdr. I. 8. patet ex ſplendidis titulis, Majeſtatem in ipſo ſuperſtitem denotantibus, qvales ſunt, נשיא יהודה *princeps Jehudæ*, d. l. & פחת יהודה i. e. *Præſes* ſ. *Princeps Jehudæ* Hagg. I. 14. II. 21. patet etiam ex iis, qvæ poſt eum ſumma cum poteſtate in populo reduce geſſit Nehemias c. XII. 23. 24. 28. ut non ſine cauſa vocem נשיא LXX. reddiderint ἄρχοντα, vel, ut eſt in Rom. edit. Nobilii, προστάτην τῆς Ἰουδαίας; ܪܫܐ ܕܝܗܘܕܐ & Arabs, أركون يهوذا i. e. docente R. Sal. Jarchio, הנשיא אשר לשבט יהודה *Princeps ſceptri Judæ.* Nec verò confuſa hæc erat regnandi forma, aut precaria, ſed optimè conſtituta & ſub uno aliqvo ſummo capite ſubalternos inferiorum Magi-

 ſtra.

ſtratuum ordines, qvibus Religio & Leges curæ erant, complexa. Nam, de minoribus judiciis ut nihil jam dicam, Synedrium qvidem magnum ad Herodem usq; M. duravit, non diffitente R. Moſe Haddarſan *in Gen. XLIX.* idq; tam ſub Aſſyriorum jugo, qvàm Maccabæorum principatu. Atq; eorum, qvi in illud collegium cooptabantur, tanta fuit excellentia, ut non ſolùm ראשי אבות e. i. ἄρχοντες τῶν πατριῶν Eſr. I. 5. atq; חורים *Patricii* ſ. *Nobiles* Neh. IV. 14. V. 7. Sed & שרי האבות Eſr. VIII. 29. imò ſimpliciter שרי *Principes* c. IX. 2. De qvibus plura *Specimen Obſerv. noſtrar. Criticar. in lib. Ezræ ad c. I. v. 5.* Atq; hoc ſuffecerit indicâſſe, ut appareat, per arma & injurias Aſſyriorum, ut ut turbatam variè vexatamq; Judæorum Rempublicam, non tamen everſam penitus & αὐτονομίᾳ ſuâ deſtitutam fuiſſe, cùm tam in captivitate, qvàm poſt eandem ſuos habuerit Principes & Magiſtratus indigenas, in qvibus vis ſceptri & legum poteſtas ferè absq; hiatu reſederit.

4. De *Moſe* qvòd alii hæc ultima Jacobi verba exponant, tam futile eſt, ut nul-

nullum aliud fundamentum,(ſi tamen fundamentum appellare licèt) habeat, qvam in Cabala, per cujus Gematriam duo nomina שילה & משה forte ἰσάριθμα deprehenſa ſunt, ut obſervat R. Bechajus *in Targ.Onkel.Gen.h.l.* Cui,qvantum poteſt, ſuccenturiat hanc rationem R. Bahie in *Sulhan Arba*, qvòd Patriarcha de proxima redemtione filiorum ſuorum locutus ſit. Vid. Menaſſ. Ben Iſr. *Concil. in Gen. Qvæſt.*65. Sed,ut primum argumentum ex Gematria Cabalica petitum ſtramineneum eſt & leve, ità alterum expreſſè falſum eſt. Illi tamen ſi qva conjectura veritatis ineſſet;ſicuti non negari poteſt, eam abſtruſam & Symbolicam Judæor. Theologiã (qvam inter Chriſtianos Reuchlinus *lib. de Art. Cabal.* primus illuſtravit) in detegendis myſteriis haud rarò feliciter procedere; non deeſſent nobis, qvæ ex eadem arte opponere poſſemus,qvorum poſtea nonnulla producemus. Huic verô, nempe commento R. Bahiæ, repugnat character temporis à Patriarcha additus. Dicit enim v. 1. ſe *indicare filiis* ſuis,*qvæ evenire debeant* בְּאַחֲרִית הַיָּמִים i.e.*in fine*

die-

dierum ; i. e. docente Kimchio, *diebus Meſſiæ.* Verba ejus ſunt in Joſ. II. 2. כל מקום שנאמר באחרית הימים הוא באחרית ימות המשיח , *ubicunq; dicitur* באחרית הימים, *indicantur dies Meſſiæ.* Et ſic habet qvoqve Autor *Michlol Jophi fol.* 87. *fol. p.* 2. *col.* 4. *Edit. Amſtel.* Vetuſta enim traditio Judæorum, qvam nonnulli ab Elia Levita arceſſunt, diſtingvit tempora Mundi in tres magnas periodos ימי תהו , ימי תורה & ימי משיח , ità ut ימי משיח ſint ultima mundi tempora. Qvòd qvidam hoc termino non ſemper & ubiq; tempus Meſſiæ deſcribi ſuſpicantur ex Dan. II. 18. ubi, qvæ ſub qvatuor Monarchiis futura prædicuntur, futura diebus noviſſimis dicuntur ; id nihil eſt ; qvoniam vates non ſingulas vaticinii partes, ſed tantùm ultimam, in qva priorum finis & complementum eſt, nempe regnum Chriſti ad iſtam temporis periodum referre videtur. Qvicqvid ſit, ut plurimùm certè *pro tempore Evangelii* hic terminus ponitur, ut Eſ. II. v. 2. Oſ. III. 4. 5. Mich. IV. 1. Et tota illa ætas, qvæ à tempore Apoſtolorum usq; ad diem noviſſimi judicii

cii protenditur, *tempus noviſſimum* appellatur 1 Cor. X. 11. 1 Joh. II. 18. Vid. Mullerum in *Judaismo c. XVII. p.* 512. 513. Penè autem omiſeram, adverſus eos, qvi captivitatis Babylonicæ jugum verbis Patriarchæ prænunciatum opinantur, non parum momenti ſitum eſſe in eo, qvòd moribundus Senex dilectiſſimo Filiorum Jehudæ, non mala, ſed optata rerum eventa per totam vaticinii ſeriem prædixerit; & ita qvidem, ut temporalibus & perituris bonis, more prophetico, ſpiritualis ac æterna per Meſſiam felicitas immiſta conſpiciatur. Qvid enim hæc verba: *Judah, te celebrabunt Fratres tui,* &c. *incurvabunt ſe tibi filii Patris tui,* niſi principatum inter reliqvas tribus, collata in Jehudam primogenituræ dignitate, tribui ejus aſſignant? Qvid reliqva, *manus tua impoſita erit cervici hoſtium tuorum,* conf. v. 8. & 9. niſi crebras & inſignes de hoſtibus DEI reportandas victorias indicant? Qvid deniq; *uvarnm lactisq;* copia v. 11. 12. niſi ſummam rerum omnium ubertatem ſignificant? Licèt hæc eadem ad ſpiritualia qvoqve Regni Siloh beneficia myſticè refer-

ferri poſſint. Vid. Lutheri aureus *in Gen. comment.* h. l. Sed ſumma felicitatis, qvæ huic tribui promittitur, in eo conſiſtit, qvòd ex ea naſciturus erat Meſſias, eo maximè tempore, qvô ultima rerum cataſtrophe Judæis imminebat. Licèt autem magna ſatis calamitas iſti genti, exilium à patria ſua ejusq; ac Templi devaſtatio, longè ante adventum Meſſiæ acciderit, tamen hæc brevia fuere & momentanea, ſi cum æterna & incomparabili felicitate conferantur, qvæ confluentibus ad cæleſtem Regem Silo eiq; vera fide adhærentibus certa erat. Qvæ cauſa videtur fuiſſe, qvòd nihil mali, qvale fuit Babylonica deportatio, Jehudæ denuncietur, cùm tamen, qvæ de Rubene, Simeone, Levi exſtant, mixta continent benedictionibus ſiniſtra fata. Ut mirari liceat, qvomodo ex v. 28. ubi Jacob dicitur *benedixiſſe filiis ſuis*, colligere potuerit Epiſcopius *Inſtit.* lib. III. c. 6. *meras benedictiones eſſe ultima verba Jacob.* Qvis enim mediocriter in Ebræis verſatus neſcit verbum בָּרַךְ in utramq; partem ſumi, ut in lingva iſta ma-

matre, itaq; qvoq; in ejus filia Arabica? Sed hæc obiter.

5. Cùm itaq; manifeſtum eſt, neqve de Saule, neq; de Jeroboamo, neq; de Nebucadnezare, neq; de Moſe adeoqve de nullo alio hæc exponi poſſe, qvæ de Schilo prædicantur, reſtat ut veſanæ genti ob oculos ponamus, primô, qvid Majores eorum ſenſerint, deinde qvid neceſſariò ſentiendum eſſe textus S. συναφεία & cum aliis vaticiniis, ipſoq; rerum eventu, inſtituta collatio demonſtret. Et primò qvidem apparebit, qvot paſſibus noſtri temporis Judæi ab antiqvioribus receſſerint, qvantoq; his illi profundiùs inhæreant ignorantiæ ſuæ Spiritualis luto; ut verè dicere poſſimus, illos, qvod eſt in ipſorum proverbio, eſſe חומץ בן יין ſeu *feces vini* ſi cum Majoribus comparentur. Eqvidem pauci fuere ex vetuſtis ipſorum Magiſtris, qvi non hanc Prophetiam de Meſſia interpretati ſunt, qvod jam ante in Textus ipſius ἀναλύσει ſatis declaravimus. Ut tamen hîc addamus ingenuam R. Bechaji confeſſionem ex *comment*. ejus in h. l. *Qvòd potiùs*, ait, *dixit Schilo, qvàm* בנו

 fili-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

filium ejus, *eo innuit* Jacob *ſeſe de Meſſia peculiari modo loqvi*, ſc. ut diſtingveretur ab aliis Jacobi filiis. Etiam ex Cabalicis fontibus, qvos magni faciunt Verpi, unum & alterum ipſis propinabimus de Meſſia hauſtum. In Gematria, qvam vocant, ſeu numerica literarum computatione binæ hæ voces יבא שילה, ſingulîs literîs juxta valorem ſuum declaratîs, eandem planè ſummam continent, qvam efficiunt literæ vocis משיח i. e. numerum 358. Tantiq; hoc myſterium numerorum fuit R. Moſi Haddarſan & Baal Arba Thurim, ut inde שילה eſſe ac denotare Meſſiam concluſerint. Sed & in lib. *Caskuni* & Pentateucho cum triplici Targum Cabalam hanc deprehendi refert Buxtotfius *in Lexico*. In altera verò hujus Cabalæ ſpecie, qvam *Notarjekon* appellant, ex tribus literis initialibus vocum יבא שילה ולו nomen *Jeſu* colligitur. Hujus verò collectionis Autorem R. Hakkadoſch laudant Galatinus *A. C. V. cap.* 20. Mornæus in der Vermahnung an die Juden / & Hoornbeck in *Diſp. c. Judæos*. Dixerit hæc forſan ru-

dis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

dis in literatura cabalica Davus nugas, non item gnarus iſtius ſcientiæ Oedipus. Etiam ex his, licèt valdè infirmis, argumentandi principiis, cum iis adverſus Judæos ſcientes & amantes utimur, ſecundaria qvædam & plauſibilis exſurgit eos confutandi ratio. Odio Chriſtianorum & excœcatis mentibus, potiùs qvàm demonſtrationum inopiæ imputandum, qvòd hodie illa gens proprium Meſſiæ nomen ישוע in ישו mutatum & mutilatum ultimâ litera converterint, ut ne nomen qvidem, multò minùs ipſam Salvatoris perſonam & officium ſibi aut poſteris innoteſcere velint. De qva fraude teſtatur Elias, in *Tisbite* : לפי שהיהודים אינם מודים שהוא המושיע לפיכך אינם רוצים לקראו ישוע והפילו העין וקורין לו ישו: i.e. ex verſ: Fagii : *Qvia Judæi non credunt, qvòd ipſe ſit ſervator ille, idcirco illum vocare nolunt* ישוע, *ſed tollunt lit.* ע *& pronunciant* ישו *Jeſchu.* Qvin tantum abeſt nomen illud ſanctiſſimum inter ſermones ſuos uſurpare velint, ut potiùs, ſi ejus inter eos nominandi qvædam ſit neceſſitas, ejus locô utantur dicteriô hôc impiô & horren-

ren-

rendô, reſolutis trinis literis τοῦ ישו in totidem execrandæ blaſphemiæ vocabula יִמַּח שְׁמוֹ וְזִכְרוֹ i.e. *Deleatur nomen ejus* & *memoria ejus*, ut memorat Frid. à Weille, non ità pridem ex Judæo factus Chriſtianus, & cætus Spikenſis in Hollandia Miniſter Tractat: van de Heerligkeyt J. *Chriſti c. II. p.* 41. Sic & per contemptum appellant Chriſtum אותו האיש (qvemadmodum vetuſtiores Judæi dixerunt τὸ αἷμα τοῦ ἀνθρώπου τούτου Act. V. 28.) ut ex *lib.* Jot*zeroth fol.* 36. refert Buxtorfius *Lex. Chald. Talm. ad voc.* איש. At nimis indigna ſunt Cabaliſtica nugamenta, inde ut fundamenta qværamus ſententiæ noſtræ, cui vel ipſa Scriptura ſat lucis & claritatis offert, ut absq; mutuatitiis iſtis & precariis conjecturalis doctrinæ principiis poſſit fieri omni demonſtratione alia major. Qvid enim ad nos hodiernum Judæorum à vero Scripturæ ſenſu diſſidium? qvid ad nos eorum à Majoribus ſuis divortium? Per nos enim figmentis ſuis & gematricæ divinationi ſuum emancipent obſeqvium, modò non minùs admittant in-

vesti-

veſtigationem τοῦ משיח ex vocibus יבא שילה, qvàm τοῦ משה ex ſola voce שילה; atq; huc usq; non ſinant adverſas τῶ Meſſiæ interpretationes animos ſuos occupare, dum ex reliqvo contextu & collatione aliorum, qvæ de Meſſia prædicuntur in Prophetis, intellexerint, cuinam ea competant rectiùs Chriſtóne an Moſi? Qvòd ſi verò ne ſic qvidem patiantur ſibi aperiri oculos, ut ad veritatis agnitionem pervenire poſſint, fruantur illi qvidem ſuo genio, licèt non absq; noſtra commiſeratione; dum interim Nos, ſiqvidem ità volunt, linqvamus eos ſuis ὁδηγοῖς τυφλῶν τυφλοῖς; dumq́; illi διυλίζουσι τὸν κώνωπα τὴν δε κάμηλον καταπίνουσι, ut de iis dictum Matth. XXIII. 24. nos ſolidiora conſectabimur. Et nunc ex ipſa Scriptura Scripturæ hujus verum ſenſum ſtabiliemus.

6. Certè non de alio, qvàm de vero Meſſia, hæc à Jacobo Patriarcha prædicta eſſe evidentiſſimè commonſtrat totius Textus συνάφεια, tum in eodem commate, tum in antecedentibus ac ſeqventibus. Nam (1.) in eodem commate, qvi primò שילה nominatur, mox à perſona & officio talis

talis deſcribitur, ad qvem confluent, & *cui obedient omnes nationes.* Qvem proprium eſſe τοῦ שילה characterem indicat ſeqventium יקהת עמים immediata connexio per ו copulat. & proximæ vocis ſuffixum 3. perſ. ut tantundem valeat hic ולו *& ad eum*, qvod אשר לו *ad qvem* ſc. Schilo. Cujus Ebraismi cum dare poſſemus exempla plurima, dabimus bina eximia de eodem Meſſia noſtro, Eſ. IX. 6. *Filius datus eſt nobis* והמשרה על שכמו *& erit Principatus ſuper humeros ejus*, i.e. cujus ſuper humeros erit Principatus. Mich. V. 1. *Ex te mihi egredietur Dominator* ומוצאתיו *& egreſſiones ejus*, i.e. cujus egreſſiones erunt מקדם imò מימי עולם *à diebus æternis.* Iſta verò obedientia τῷ *Schiloh* debita proponitur, (1) ut Spiritualis, (2) ut univerſalis. Spiritualem enim obedientiã formali vocis יקהת ſignificato, conſentientibus Ebræorum Magiſtris, conformẽ eſſe jam ante oſtendimus: Scilicet non qvalem terrena imperia vel metu legum & læſæ Majeſtatis, vel externa vi & coactione à civibus ſuis exigunt, ſicut loqvitur Chriſtus Matth. XX. 25.

Marc.

Marc. X. 42. οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν: ſed talem obedientiam, qvale futurũ erat Principis hujus regnum, (qvod non erat de hoc mundo Joh. XVIII. 36.) Qvæ proinde non tam commodi alicujus temporalis, qvàm æternæ felicitalis ſpe promiſſa, non externa compulſione, ſed interna δυνάμει Spiritus & ἀληθείας σωτηρίου dulci operatione in animis credentium firmaretur; ut licèt jugum eſſet hoc ſpirituale Meſſiæ imperium, eſſet tamen *jngum utile*, & *onus facile*, qvippe qvô ad imitationem manſvetudinis & humilitatis ipſius Principis diſpoſiti mortales ità ipſi devincirentur, ut, cum reliqva omnia fluxa ſint & turbida, ſub hoc jugo veram ſtabilem & in æternum duraturam ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν invenirent Matth. XI. 28. 29. 30. Qvid enim eſt obedire Chriſto, niſi ei, omnes ad ſe per verbum ſuum vocanti, vera fide *accedere*, eum in Servatorem ſuum *accipire* Joh. I. 12. eum ſuper omnia *diligere* 1 Cor. XVI. 22? qvæ eſt illa ὑπακοὴ πίστεως, de qva Rom. I. 5. Vel ſi mavis alteram & יקהת ſignificatiouem, *adhærendi* ſc. credentes

di-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

dicuntur vera fide & infucato amore *ad-glutinari* capiti ſuo Chriſto, qvemadmodum maritus uxori Eph. V. 31. 32. *uniri* cum Chriſto Joh. XVII. in hac vita per gratiam v. 21. 23. in altera per gloriam v. 24. *apponi* προστίθεσθαι corpori Chriſti Act. II. 41. *ſervire Chriſto in Juſtitia & ſanctitate* Luc. I. 75. conf. Rom. VI. 13. XII. 1. Et verò in Propheticis V. T. ſcriptis non minor deſcriptionum hujus obedientiæ ſeges. *Convertimini ad me, ſervamini omnes terræ*, vox eſt Meſſiæ per Eſaiam c. XLV. 22. Hæc eſt doctrina *ejus, qvam exſpectabunt regiones: arundinem qvaſſatam non franget, & elychnium fumigans non exſtingvet, ad veritatem proferet judicium* Eſ. XLII. 3. 4. Innumera alia brevitatis ergo omittimus. Qvis ergo negabit in converſione ſalutari, in cognitione veritatis & doctrinæ verè pacificæ agnitione hanc conſiſtere obedientiam? Ut rectè Kimckius *in lib. rad.* tradat, hanc eſſe propriam vocis יקהת ſignificationem, ut *gentes ſibi dictum putent, qvicqvid* Schilo *præceperit.* Qvod ipſum eſt illud, qvod voce cœleſti Patris de

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

de Filio in genere præcipitur: αὐτοῦ ἀκούετε Matth. XVII. 5.

7. Porrò *univerſalis* hæc futura erat obedientia, ſi non omnium hominum, (multi enim non obediunt) at omnium gentium, ità ut nulla gens ſit, cui non vox Schilo innotuit, & ex qva non aliqvi ad obedientiam ejus conceſſerunt; qvare ſubjectum hujus obedientiæ עַמִּים voce collectiva plur. dicitur. Diximus autem ſupra & evidenter probavimus, non ad ſolam gentem Judaicam hunc titulum pertinere, ſed potiùs ad omnes totius terræ nationes. Habuerit itaq; David multas ſub ſuo imperio gentes, Ammonitas, Idumæos, &c. habuerint item Salomon aliiq; Principes Judæ, ad qvos hæc verba hodie torqvent Judæi: dicimus tamen ſubjectum hujus *obedientiæ* tam eſſe univerſale, nulli ut præter Chriſtum, qvi eſt Schiloh, competere poſſit, qvod & agnovit Targum Jeroſol. qvando hæc verba ità ὑπαφθέζει: *ipſi ſubjicientur omnes Reges terræ*; planè ſicut eſt Pſalm. LXXII. 11. *Incurvabunt ſe ei omnes Reges, & omnes gentes ſervient*. De Filio enim Meſſia

ſic loqvitur Pater Pſal.II. 8. *Dabo tibi gentes in hæreditatem, & fines terræ in poſſeſſionem.* Ipſe qvoq; dicitur *exſpectatio gentium* Hagg. II.8. non tam qvòd à Gentibus exſpectatus fuerit, illæ enim, qvà gentes, *erant iſto tempore ſine DEO, ſine Chriſto* Eph. II. 12. qvam qvòd deſiderari à Gentibus ad ſalutem debuerit, &, poſtqvam ipſis innotuerat, potuerit. Ut nihil dicam de Sancta gente, qvæ non tantùm, poſt conſtitutam in Judæa Eccleſiam & Sacra à reliqvis gentibus ſeparata, in Prophetis ſuis & Sanctis eum anxiè exſpectabat, ut nos docet D. Petrus 1. Ep. I. 10.11.12. & in Sacrificiis ſuis ac Typis qvotidie contemplabatur, ut docet *Epiſt. Ebr.* ſed etiam ante id tempus habebat de ejus adventu & beneficiis futuris certas promiſſiones & prophetias Gen. III.15. IX.27. XXI.12. XXII.18. Job. XIX.15. Præſtandam itaq; Meſſiæ Regi tam à gentibus, qvàm à Judæis obedientiam ex verbis ולו יקהת עמום rectè colligit R. Abarbanel *Piruſch in Jeſ.XI.* לא בלבד יכנעו אליו בני ישראל אבל גם שאר האומות יהיו נכניעים תחתיו וכמו שאמר הזקן ולו יקהת עומים

i. e.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

i.e. *Non ſolùm ipſi* (ſc. Meſſiæ) *ſubjicientur filii Iſraëlis, ſed alii populi, ſicut dixit Senex*, Gen. XLIX. 10. *& ei erit obedientia populorum.* Addit mox dicta parallela Eſ. II. 4. XLII. 4. Atq; hæc ſpiritualis & univerſalis obedientia absq; omni dubio nota illa characteriſtica eſt, qvâ, qvē nomine שילה ſubobſcurè indicaverat, pius Senex maniſeſtiſſimè declarat. Absq; qva nota ſi fuiſſet, certè qvem per venturū Schilo intelligerent, filii ejus ignorâſſent, remq; propoſuiſſet divinus Vates ipſis longè tenebrîs obſcuriorem. Sumatur jam vox שילה ad qvamcunq; volueris tot Interpretum expoſitionem, niſi Chriſtus noſter hìc indicatur, vanæ ſunt, fruſtraneæ & inſipidæ omnes ſive Rabbinicæ, ſive Græcæ, ſive Latinæ παραφράσεις & interpretamenta. Qvid ᾧ τὰ ἀποκείμενα, ſive ᾧ ἀπόκειται, ut vocem Schilo explicant οἱ LXX? Qvid qvorundā τὸ *cui eſt*, vel *qvi ſibi*? qvid aliorū *mittendus*, vel *munus El*? Qvid epitheta, *fortunatus*, *tranqvillus* abſolutè poſita? Qvid deniq; Kimkii aliorumq; Magiſtrorū בְּנוֹ *filius ejus*, ſive שִׁילוֹ *fætus ejus*? Larvæ profectò & ineptiæ, niſi ad Meſſiam noſtrum,

ſtrum, cui omnia illa proprio jure & πρώτως competunt, referantur? Miror non videre cum antiqviſſimis Rabbinis poſteriores Recutitos, (niſi qvia velum Moſis adhuc ſuper faciem eorum eſt) hunc genuinum eſſe Meſſiæ characterem, *qvòd ad ipſum aggregentur populi:* cùm non ignorent de Meſſia dictum eſſe Abrahamo, *qvòd in ſemine ejus benedicentur omnes gentes* Gen. XXII. 18. Ut non proponam alia huc facientia, præter Eſ. XI 10. *Stabit Radix Iſai in ſignum populorum & ipſum gentes qværent.* & Mich. IV. 1. *Fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ.* In illo enim Eſaiæ loco cum שורש ישי *Radix Iſai* i. ſit q. *ſemen aut filius Iſai;* (Sic vocem שורש Chaldæus vertit Eſ. XIV. 30. Mal. III. 21.) qværo, in qvem Filium Iſai ſ. Davidis poſt prophetiam Eſaiæ iſta qvadrent, niſi in Meſſiam? qvi κατ' ἐξοχὴν Filius Iſai & Davidis dicitur, qvaſi *primogenitus* Pſ. LXXXIX. 28. qvi non ſolùm qvà humanitatem ex iſta familia ortus, ſed & qvà dignitatem, ejus radix ſit ac fundamentũ; ut benè obſervavit Bernhardus *ſerm. in die Paſch. I. col.* 130.

130. *Non dicit, David radix ejus, ſed ipſe radix David, qvia portat & non portatur; Meritò, David ſancte, filium tuum vocas Dominum tuum, qvia non tu radicem portas, ſed radix Te.* Illud verò qvod de hac radice Iſai prædicatur, planè deſignat vocationem gentium, qvæ ad Chriſtum per prædicationem verbi, tanqvam ad vexillum erectum colliguntur milites datô tympanæ ſignô, confluent, ut *timeant ab occaſu nomen Domini & ab ortu Solis gloriam ejus, cum venerit veluti fluvius arctus*, in qvo *Spiritus Domini* נוֹסְסָה *vexillum eriget* Eſ. LIX. 19. vid. de Ebraismo h. l. Glaſſium *Onomatol. Proph.* p. 78. Ubi non mirum ſimilitudine militari uti Sp. S. cùm idem totam filiorum DEI in his terris vitam *militiam appellat* Job. VII. 1. cujus arma hoſtesq; emphaticè deſcribuntur Eph. VI. 18. Conf. 2 Tim. IV. 7. 8. Vexilli autem hujus myſtici non obſcurus typus fuerat olim in deſerto הַנֵּס *ſtipes ille* ſ. *pertica vexillaris*, ſuper qva *exaltatus* conſpiciebatur *ſerpens æneus* Num. XXI. 9. Et ne hæc, qvæ de vocatione univerſali gentium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

per Evangelium jam dudum facta prædixit Eſaias, incredula gens Judæorum ad ſomnium ſuum, de terreſtri & omni ex parte glorioſo Meſſiæ ſuo regno, qvod etiamnunc exſpectant, applicarent, ecce Propheta Vexilliferum hunc divinum indicat venturum כְּנָהָר צָר *ſicut fluvium arctum* & anguſtum: qva ſimilitudine notatur, *regnum hoc Chriſti non ſtatim fore omni ex parte glorioſum, & per totum terrarum orbem diffuſum, ſed habiturum ſua incrementa, & primò anguſtis Judææ terminis incluſum, poſtmodum in totum ſe diffuſurum terrarum orbem; ſicut fluvius, in anguſtum redactus alveum, redundantibus aqvis aggerem perrumpit & longè lateq; exundat & diffluit*; ut bellè ad h.l. commentatur ὁ φιλολογώτατος Glaſſ. *loc. cit.*

8. Cæterùm, cum nuper ad inungendos oculos Judæorum, qvò in verbis ולו יקהת עמים characterem Meſſiæ noſtri conſpicere poſſint, collyrium præparavimus ex dicto parallelo Gen. XXII. 18. ubi Abrahamo legitur promiſſum, qvod *benedictæ forent in ſemine ejus omnes gentes terræ*: neceſſum eſt, ut eum locum adverſus

ψά-

ψευδερμηνείας Judæorum breviter vindicemus. Qvippe illi eum ſic intelligunt, ac ſi tantam omnis benedictionis copiam DEus Abrahamo dederit vel dare promiſerit, ut poſt id tempus, qvicunq; ſibi vel aliis benedicere voluerit, uſus eſſet hâc benedicendi formulâ, *benedicat tibi DEus ut Abrahamo & proli ejus*, vel *in Abrahamo & prole ejus*: qvaſi hic & hæc eſſet qvædam velut canalis, per qvam in poſteros Abrahami, filios ejus κατὰ σάρκα, omnigena proſperitas difflueret. Abutuntur autem ad hanc falſam interpretationem, dictô Jacobi Patriarchæ ad Ephraimum Gen. XLVIII. 20. בְּךָ יְבָרֵךְ in te (i.e. *te propoſito* ut explet Tremellius) *benedicet Iſraël* dicendo, *conſtituat te Deus tanqvam Ephraim & tanqvam Menaſſen.* Sic R. Salomon in Gen. XII. 3. Verùm exile hoc eſt & valde jejunum; qvod enim Gen. XII. 3. dicitur בְךָ נב״כו *in te benedicentur*, id Gen. XXII. 18. explicatur de ſemine Abrahami: ideoq; de ſemine in ſing. emphaticè hoc dicitur, qvia non niſi de uno, nempe Chriſto, intelligendum eſt, ut explicat

Paulus Gal. III. 16. Deinde qvod primô locô paſſivè dicitur נברכו *benedicentur*, id in altero loco repetitur reciprocè התברכו *benedicent ſibi*, i. e. beatas ſe & terq; qvaterq; felices prædicabunt (μακαριοῦσι ἑαυτὰς) *omnes gentes*, qvare? בזרעת אברהם *in* ſemine, ſive, ut vertit Onckelos בדיל *propter ſemen Abrahami*, i.e. propterea qvòd Chriſto adhæreant, eiq; per fidem, tanqvam membra capiti, accenſeantur. Itaq; hæc eſt vocatio gentium, qvam negant Judæi, ſolos ſe ad benedictum illud ſemen pertinere exiſtimantes, licèt ad gentes hanc ſortem qvoq; venturam h. l. prædixerit Scriptura. Malè autem huc qvadrat illud Ephraimo dictum à Jacobo, Gen. XLVIII. 20. cùm ibi ſit verbum activum יְבָרֵךְ, & nulla ratio eſt, cur ità reddatur: בך יברך ישראל *in te benedicent Iſraëlitæ*. Nam mihi certè Patriarcha de ſe loqvi videtur in 3. perſona, *in te benedicet Iſraël*, i. e. in te, Ephraim, talem benedictionem conferet, ut in te benedictionis exemplum habeat totus Iſraël: *conſtituat te DEUS*, &c. At verò in noſtro, qvem vendicamus,

mus, loco eſt verbum reciprocum conj: *Hithpahel*, qvod certè immanentem in ſuo ſubjecto & intranſitivam ſignificationem habet, ut notum eſt, & patet ex Eſ. XXV. 16. ubi præterea non per Abrahamum, Iſacum vel Jacobum vel Ephraimum benedici debere oſtenditur, ſed per DEum verum ſive Meſſiam, המתברך בארץ יתברך באלהי אמן *qvi benedicturus eſt ſibi in terra iſta. benedicet ſibi per DEum verum.* Nimis autem ſubtilis imò ſingularis eſt paraphaſis ſuper illum *locum Gen. XII*, Autoris *Lib. Zeror Hammor*, qvaſi diceret DEus Abrahamo: *pro eo, qvod maledicerent tibi jure omnes, qvia non abhorruiſti à cæde filii; certè magis benedicent tibi, qvòd obedieris voci meæ.* Qvod eqvidem qvàm remotũ ſit à literali expoſitione verborũ יתברכו בזרעך, qvilibet videt ex iis, qvæ jam modò diximus, niſi eſt talpâ cæcior.

9. Reſtat, ut ex reliqvo contextu Meſſiam noſtrum ab aliis ſuppoſititiis perſonis, qvibus hoc oraculũ adſcribunt Judæi, brevi opera ſecernamus. Certè ad oculos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

non conniventes patet, qvomodo Divinus Senex, jam fato ſuo proximus & ſpe venturi Meſſiæ plenus, præſciusq; rerum, qvæ באחרית ימים ultimis diebus futuræ eſſent, partim de Juda, partim de Schilo vaticinetur. Et Judæ qvidem, cui potior primogenituræ à Rubene ablatæ dignitas ceſſit 1 Chron. V. 2. principatum & prærogativam reliqvos inter fratres aſſignavit v. 8. 9. *Juda, Te laudabunt Fratres tui, & adorabunt Te filii Patris tui, & dominaberis inimicis tuis*, &c. Deinde verò de filio aliqvo Judæ, qvem *Schilo* nuncupat, ſubjungit, qvòd ille, qvamprimùm ſceptrum à tribu Judah penitus ablatum eſſet, veniret, qvem non modò Fratres ejus filiiq; Patris ejus, ſed, qvod longè majus eſt, omnes nationes & populi, qvàm latè patet orbis, ſua ſubjectione & reverentia ſint proſeqvuturi. Hanc diſtinctionem ipſe inter Judæos R. Bechaius *in h. l.* ſubminiſtravit: qvòd *omninò* v. 8. *intelligendus ſit de Judâ, Filio Jacobi; verſus ſeqvens de Davide: verſus autem decimus de Redemtore noviſſimo, & hoc ſit, qvod dicitur, usqvedum veniat Siloh*, &c. Ità

nem-

nempe ſolent Prophetæ creberrimè à typo ad antitypum tranſire, eodemq; in ſermone, ubi de terrenis multa dixêre, ad Chriſtum totius Scripturæ nucleum, qvem animis conceperunt, prædicandum ſe convertere. Sic Eſ. XLIII. 25. poſt factam liberationis ex captivitate Babylonica mentionem, ſvaviſſimum de Chriſto redemtore proponitur oraculum. Sic Jer. XXIII. 1. 9. de eadem liberatione agitur, & mox ſubjungitur pericope Evangelica de miſſione Meſſiæ in carnem: *Ecce dies venient, & excitabo Davidi germen juſtum, is regnabit Rex & ſecundabitur,* &c. *Diebus ejus ſervabitur Juda, & Iſraël habitabit ſecurè, & hoc nomen ejus, qvô vocabitur, Jehova juſtitia noſtra.* Nec aliter in vaticinio Jacobi de Juda, *primò* qvidem agitur *de Juda ipſo*, qvòd is, ſtante Judæorum politia & ad ſuam ἀκμὴν perducta, in poſteris ſc. ſuis, Majeſtatis ἀξίωμα habiturus eſſet: *ſecundò* verò & immediatè agitur de longè eminentiore dignitate, qvæ ſingulari cuidam perſonæ, ſecundùm carnem ex ſemine Judæ orituræ, adſcribitur. Et verò eadem perſona, qvæ

Schi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Schilo appellatur, ità deſcribitur, ut qvæ omnibus Avis atavisq; ſuis infinitis modîs major & excellentior futura eſſet, qvippe qvam omnes, non Judæi tantùm, ſed & gentes in univerſum omnes colerent & impenſè venerarentur. Et hanc totius de Juda vaticinii ſimpliciſſimam & convenientiſſimam diſtinctionem eſſe arbitror. Ut nunc brevitatis ergo omittam eas divitias, eam fertilitatem, media ſalutaria, ſimplicitatem ſtatus veri Chriſtianismi, Sacramentorum theſaurum, Eccleſiæ Chriſti veras notas, & ſi qvæ alia hujus generis ſunt, qvæ pio ſtudio & enthea Spiritus vi, tum vetuſti Patres, tum vel maximè B. noſter Lutherus & poſt eum meliores Interpretes collegerunt: qvæ omnia aut pleraq; Regnum Meſſiæ ac Spiritualia ejus & incomparabilia bona adumbrant in ſeqventibus: *Ligabit ad vitem pullum ſuum, & ad generoſum palmitem filium aſinæ ſuæ, lavabit in vino ſtolam ſuam, & ſangvine uvæ pallium ſuum. Rubicundiores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.*

10. Paucîs tamen ut tanta myſteria

ria exponamus: qvis neſcit in *vite & vinea* pulcerrimum latere Eccleſiæ Symbolum? Vid. Eſ. V. 1. ad 8. Cant. II. 15. Pſ. LXXX. 9. Matth. XX. 1. XXI. 28. ſeq. Marc. XII. 1. Luc. XX. 9. Et, ſicut Eccleſia alia eſt corrupta, alia reſtituta & integra, ità illa comparatur *vineæ ſterili, non uvas ſed labruſcas edenti* Eſ. V. 4. *Vineæ alienæ* ſ. agreſti Jer. II. 21. *Viti, qvæ ſuperat vitem Sodomæ & Gomorræ, & fert uvas venenoſas & botros amaros* Deut. XXXII. 32. hæc verò *viti præſtantiſſimæ* Ezech. XVII. 8. *viti Generoſæ* Eſ. V. 2. Jer. II. 21. & hôc locô. Nam שורק Ebræis eſt genus vitis optimæ, qvæ uberes fructus faciat atq; perpetuos, ut καλλίκαρπος à qvibusdam meritò nuncupetur, ut obſervârunt B. Hieronymus & Cyrillus ad *dictum Eſai. loc.* Porrò qvis non videt in *pullo aſinæ & aſina* metaphoricam extare deſcriptionem Gentilium & Judæorum, ex qvibus absq; diſcrimine coaleſceret Eccleſia Chriſti. Certè animal hoc, Regum & Magnatum vecturæ olim aſſvetum, ſubjectionis & obſeqvii non obſcura imago eſt, ut non ſine

cau-

cauſa per illud Regni Chriſti cives deſignentur; cùm aliàs notiſſimum ſit. ut bello eqvum, ita paci aſinum familiarem eſſe & à manſvetudine laudari. Hinc ipſe Chriſtus, ut oſtenderet Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, & teſtimonium exhiberet humillimæ ſuæ conditionis, in qvâ primus ejus adventus fuit, *non aſcendit ſuper fervidum eqvum, diſcordiæ amatorem & litis, qvi gloriæ jactantia pectus habet repletum, & de longe odoratur bellum*, &c. *ſed ſedit ſuper aſinam, tranqvillitatis* & *pacis amicam*, ut notat Chryſoſtomus *Expoſ. in Matth. hom.* 37. Sic primum Chriſti adventum pacificum & humilem prædixerat Zacharias c. IX. 9. *Exſulta valde, filia Zionis, clange filia Jeroſolymorum, ecce Rex tuus adveniet tibi, juſtus* & *ſalute præditus : pauper* & *inſidens aſino, idq; pullo nato aſinæ.* Qvod completum eſt Matth. XXI. 2. 5. 7. At nec ſine gravi cauſa *tum aſina* memoratur, ut eſſet metaphorica delineatio Eccleſiæ judaicæ, qvæ legibus divinis, tanqvam ζυγῷ (Vid. Act. XV. 10.) & *diſciplinâ* (vid. Gal. III. 24.) manſvefacta

&

& ὑποζύγιος (niſi qvatenus ejus maxima pars, jugô rejectô, ſtimulis obſtrepebat, qvod integræ conciones Prophetarum & Chriſti teſtantur) ad Chriſtum adduceretur; *tum pullus aſininus*, ut notaret Gentiles, qvi, ut hactenus *alieni à politia Iſraël, à DEO & Chriſto* Eph. II. 12. ſimiles erant aſello nondum frenis ſveto aut ſeſſorem paſſo, jam verò dulce jugum Chriſti admiſſuri eſſent. Primò autem de aſina, deinde de pullo in dictis allegatis dicitur, ut ſignificetur, *qvòd* Chriſtus *primùm qvieverit in Judæorum Synagoga, deinde in gentili populo*. Vid. Theophylactum *in loc. Matth.* & Originem *hom. XIII. in Num.* Sic legitur, & *aſinam*, & *pullum aſinæ* Schilo ad *generoſam vitem ſuam ligabit*. i. e. tam gentiles, qvàm Judæos ad Eccleſiam & communionem gratiæ & gloriæ ſuæ, fidei, ſpei atq; charitatis vinculîs non modò attrahet, ſed & firmiſſimè alligabit, ut per obedientiam fidei ipſi Regi ac Domino, qvi eos redemit, perpetuò adhæreant. Tam accepta hæc fuit interpretatio Rabbinis antiqvioribus, ut ex præcipuis unus, R. Moſes Haddarſan ad

hæc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

hæc verba: *Ligabit pullum ſuum ad vitem*, dixerit: *Meſſias veniet ad Jeruſalem, inſternet aſinam ſuam, inq; paupertate & humilitate veniet, ſecundùm illud* Zach. IX. 9. Qvæ verò ſeqvuntur de vino ſive ſangvine uvæ, cujus tanta copia futura erat, ut in illo lavaret veſtimenta ſua, item de lacte, ea *partim* Meſſiæ paſſionem & innocentiam, adeoq; præcipuas Mediatoris qvalitates præfigurant; conf. Eſ. LIII. 4. ſeqv. LXIII. 1 2. 3. partim abundantiam gratiæ & ſpiritualium beneficiorum, qvæ ejus meritò in Eccleſiam redundabunt, & per Evangelii prædicationem uberrimè diffundentur, prout alibi iisdem ſimilibus declararur Joël. III. 18. *Erit autem die illo, ſtillabunt montes ipſi muſtum, & colles diffluent lacte*. Conf. Eſ. VII. 14. 22. Certè per *muſtum* ſive *vinum novum* doctrina Evangelica Matth. IX. 17. Marc. II. 22. Luc. V. 37. per *lac* verò ejus prima rudimenta & maximè ad ſalutem neceſſaria dogmata indigitantur 1 Cor. III. 2. Ebr. V. 12. 1 Pet. II. 2. Allegorica hæc ſunt, fateor, & myſtica omnia; ſed non aliam expoſitionem contex-

textus patitur. Neq; verò fidei articulum inde exſtruimus, neq; qvicqvam damus, qvod non per omnes fere Scripturæ tabulas deChriſto prædicatur, nec deniq; ex his ultimis neceſſitatem exponendi oraculi de Chriſto metimur; ad hoc enim ſufficiunt characteres alii, qvas ipſa litera exhibuit verſu antecedente. Sed & hoc pro certo habemus, ultimam partem hujus vaticinii non tam commodè de ipſo Juda ejusvé tribu explicari poſſe; qvid enim tum eſſet hoc: *Juda ligabit ad vitem pullum ſuum & ad generoſum palmitem aſinam ſuam?* qvid hoc: *Lavabit veſtimenta ſua in vino, oculi ejus erunt rubicundiores vinô & dentes lacte candidiores?* Si de felicitate tribus iſtius terrena, qvoad fertilitatem glebæ & omnis generis abundantiam, iſta qvis interpretatus fuerit, profectò non videbitur mihi intellexiſſe, qvid præ reliqvis tribubus ſingulare & excellens tribui Judah adſignetur; cùm absq; omni dubio iſtis bonis, reliqvarū tribuum aliqvot non modò non ceſſerint Judæ, ſed & longè excelluerint. Nam de *Aſcher* prædictum, qvòd *pingvis eſſet cibus ejus, & ipſe præ-*

beret delicias regias. v. 20. Et de Joſeph *benedictiones cœlorum, abyſſi, uberum & vulvæ*, mira emphaſi, prædicantur v. 25. 26. Vid. & de Iſaſchar v. 14. Ut, niſi in Juda qvid ab his diverſum & eminentius cogitaveris, inanem maxima parte de eo prophetiam reddideris; vel diverſa Tribuum fata, futurasq; habitationum & progreſſuum diſtinctiones, qvas prænunciat divino ſermone Jacob, vel confundere, vel ταυτολόγως in tam ſuccincta morientis oratione enarrari non dubitaveris.

11. Addimus & hoc argumentum: Non alium ſub nomine peculiari שילה prædictum Judæ poſteritati eſſe, qvàm Filium DEI, JESUM Chriſtum, Salvatorem hominum, qvem ſanctiſſimus Vates mentis fideiq; lumine amplexus erat, & cujus opem in omnibus animæ, etiam corporis, periculis indubia prece implorârat. Nam (1.) hunc *Angelum Redemtorem* c. XLVIII. 16. precatur, ut poſteris ex Joſepho ſuis benedicat: המלאך הגואל *Angelus qvi ſervavit me ab omni malo, benedicat pueris iſtis*. Qvis hic Angelus Servator niſi Chriſtus? qvi dicitur *Angelus*

lus Domini Ex. III. 2. Jud. VI. 11. *Angelus faciei ipſius* ſc. DEI Eſ. LXIII. 6. Ebr. I. 3. *Angelꝰ fœderis* Mal. III. 1. An enim ab alio Angelo benedictio exſpectari potuit, qvæ à ſolo DEO proficiſcitur Num. VI. 23? An alius invocandus præter verum DEum Matth. IV. 10? Qvid ergo? ipſe Filius DEI, qvi tunc mittebatur in corpore οἰκονομικῶς adſumto, in plenitudine verò temporis mitteretur in carne perſonaliter ſibi unito Gal. IV. 3. *Angelus* hîc dicitur. Is maximè curam geſſerat Jacobi, eumq; ab omni malo ſervaverat, licèt non absq; miniſterio Angelorum ſuorum creatorum Pſalm. XCI. 11. Is idem, qvod præſtiterat, pollicitus erat, cùm per ſomnium Jacobo viſus in ſcala cœleſti inter angelos aſcendentes & deſcendentes, ipſe angelus increatus, dictus Jehova, DEus Abrahami & Iſaaci, *Ecce*, inqvit, *ego ſum tecum, ut ſervem te, qvòcunq; iveris*, &c. *non deſeram te, usqvedum perfecero qvæ elocutus ſum tibi* Gen. XXVIII. 15. Et verò idem Angelus DEus (qvod maximè notatu dignum) dicit ſe non velle deſerere Jacobū, usqvedū perfecerit qvæ elocutus erat

ipſi, i.e.ſuſcitaverit ipſi numeroſam & amplisſimã poſteritatem, qvæ tam latè ſe diffunderet, qvà patet oriens & occidens, Septentrio & Meridies. Et an hæc de ſolis Iſraëlitis ſecundum carnem exponi debent? Minimè, ſed de omnibus iis, qvi benedictionis in ſemine Jacobi, i. e. *Chriſto* futuræ participes eſſent, ut ſeqvitur: *& benedicentur in Te omnes familiæ Terræ*, ובזרעך (ut rectè Tremellius) *id eſt in ſemine tuo*. Igitur cùm hæc, qvæ promiſſa Jacobo, non niſi per redemtionem Chriſti ſangvine factam, ejusq; ſuper orbem annunciationem, atq; magnæ partis omnium gentilium acceſſionem ad Eccleſiam Chriſti adimpleta cognoſcuntur, & adhuc, niſi ſpes noſtra fallit, aliqva ſui parte adimplenda reſtant ante τὴν συντέλειαν τοῦ αἰῶνος, qvid eſt, qvod dicit hîc *Angelus Jehova*, *ſe non velle deſerere* Jacobum, usqvedum hæc omnia fiant? Illud *usqvedum* eſt qvidem *extenſivum*, ſed non excluſivum ſeqventis temporis: ſic ἕως Matth. XXVIII. ult. Dicitur autem DEus *non deſerere* eos, qvos ſtudioſè curat, qvibus adeſt & favet Deut. IV. 31. Ebr. XIII. 15. qvos virtute ſua corrobo-

roborat, donec certiſſimè impleverit ſuas erga eos promiſſiones. Hoc ſenſu *DEus* dicitur *non deſerere opus*, *qvod erga nos inchoavit*, Pſ. CXXXVIII. 8. Non dubium autem, qvin hoc proprium ſit Servatori Chriſto, *qvi qvod incepit in ſuis bonū opus id & perficiet usq; ad finem*, Phil. I. 6. & *eſt Auctor & conſummator ſuorum ſalutis* Ebr. XII. 12. Ut Jacobus Patriarcha propter hæc talia promiſſa, qvæ ab Angelo hoc acceperat, & qvorum partem in ſe aliqvam ſciret impletam, meritò eum dixerit הַגֹּאֵל, *Angelus* הגואל *qvi redemit*, vel potiùs, *redimit me ab omni malo*. Notum enim eſt hanc vocem (non ſolùm hôc locô uſurpatam de Chriſto, ſed & Job. XIX. 25. Eſ. LIX. 20. (ובא לציון גואל) Chald. פָּרֵק eum deſignare, qvi fratris aut proximè cognati res abalienatas aut amiſſas redimit, eundemq; vel captivum liberat, vel interfectum ulciſcitur, vel aliter mortuo hæredem ſuſcitat, ſecundum Legem Lev. XXV. & XXVII. Conf. Ruth. II. 2. III. 13. Num. XXXIII. 15. Qvæ omnia ad Chriſtum, noſtrum גואל; juxta ſin-

ſingula & גואל officia pulcerrimè accom-
modari poſſunt. (2.) Hic idem ſine dubio
eſt ille אֲבִיר יַעֲקֹב *fortis Jacobi* (conf.
Pſ.XXIV.8. Eſ.LX.16. XLIX.26.) à
qvo robur & auxilium Patriarcha filio ſuo
Joſepho pollicetur, qvemq; ibidem ſub
Joſephi typo appellat רֹעֶה אֶבֶן־יִשְׂרָאֵל
Paſtorem, lapidem *Iſraëlis* v. 24. Solet
enim Scriptura Prophetica nonnunqvam
typi mentionem facere locô antitypi, ut
qvando pro Chriſto David ponitur Ezech.
XXXIV. 23. Eſ. LV. 2. 3. Ac utroq;
titulo Chriſtus venit, & רֹעֶה *paſtoris* Pſ.
XXIII.1. Ezech.XXXIV.23.XXXVII.
24. Zach. XIII. 7. coll. cum Joh. X. 11.
Ebr.XIII.20. 1 Pet.II.25.V.4.& אֶבֶן *La-
pidis* Eſ. VIII.14. XXVIII.16. Dan.II.
34. Zach. III. 9. & qvidem *lapidis angu-
laris* Pſ. CXVIII. 22. qvem locum agere
de Chriſto, non ſolùm teſtatur N. T.
Matth.XXI.42. Act. IV. 11. 1 Pet. II.7.
ſed & R. Salomo fatetur ſuper illud Mich.
V.1. *Ex te mihi egredietur Dominator
in Iſraële.* זה משיח בן דוד וכן הוא אומר

וגו

אבן מאסו הבונים וגו i. e. *hic*, inqvit, *eſt Meſſias Filius David, & ipſe ita loqvitur* (ſc. Pſ. CXVIII.) *Lapidem reprobaverunt ædificantes*, &c. Ut adeò ſub utroq; titulo ſimul poſito Meſſiæ & officiū, & virtutem, ſuper qvâ inconcuſſa ſtabit Eccleſia Math. XVI. 18. D. Senex indicâſſe videatur.

12. Hunc itaq;, a qvo tot partim in ſe impleta, partim à ſuis exſpectanda promiſſa acceperat, ideoq; המלאך גואל c. XLVIII. nominaverat Patriarcha; hunc, qvem Joſepho filio ſub nomine אביר יעקב & ſub typo רעה אבן ישראל commendaverat c. XLIX. 24. hunc, qvi ipſi in ſomnio ut יהוה *DEus Abrahami & Iſaaci* innotuerat, & tam planè divina & Servatori propria beneficia propoſuerat c. XXVIII. 15. hunc, inqvam, moribundus Vates, ut tutiſſimum animæ ſuæ, mox è corporis ſolvendæ vinculis, perfugium, unicè ſuſpiravit, interq; penè ſingultantia verba ultimâ voce compellavit v. 18. cap. hujuſce XLIX. לִישׁוּעָתְךָ קִוִּיתִי יְהוָה i. e. *Salutem ſ. ſalutare tuum exſpecto Domine*. Certè in voce יְשׁוּעַת expreſſum eſt ſvaviſſimum

Meſſiæ & nomen & officium. Qvod cùm obſervaret Jeroſolymitanus Paraphraſtes, illuſtre nobis reliqvit de Chriſto, æterno DEI verbo, teſtimonium; Verba ejus ſunt in *Targ.* h. l. אמר אבונן יעקוב לא לפורקניה דגדעון בר יואש סכית נפשי דהוא שעה ולא לפורקניה דשמשון דהוא פורקן עבור אלא לפורקן דאמרת במימרך למיתי לעמך בני ישראל ליה לפורקניה סכית נפשי: i. e. *dixit Pater noſter Jacob, non exſpectat anima mea redemtionem Gedeonis filii Joas, hæc enim temporalis eſt; neq; redemtionem Samſonis, qvæ fluxa eſt; ſed redemtionem, ut dixiſti* במימרך *(per* λογον *tuum* Joh. I. 1.*) venturam populo tuo, Iſraëlitis; eam exſpectat anima mea redemtionem.* Non hic moramur calumnias recentiorum Judæorum, qvibus in hunc Paraphraſten, propter ſinceram veritatis confeſſionem, tota bilis commota eſt; ſicut aliqvis R. Jeſchajah in lib. דרך ישר ſ. *viæ rectæ fol.* 306. *p.* 1. eum ſtolidè ſtulteq; nugari dicere audet. Cui & reliqvis cavillis vel ſolam opponere ſufficit autoritatem Talmud, tanta cum veneratione ab omnibus penè Judæis accepti, in qvo

qvo omnem fidem ſupergredientia miracula circa hanc paraphraſin contigiſſe memorantur, laudaturq; conatuum Autoris felicitas in myſticis & obſcuris Scripturæ dictis explanandis. Vid. *tract. Megillah. cap. I. fol. 3. p. 1. edit. Amſtel.* & R. Salomonis in margine notas. Et qvid magis cum reliqva Scriptura congruit, qvàm hæc Jonathanis παράφρασις? Viderat ille Meſſiam, æternum DEI filium, ישועה appellari Eſ. LII. 10. LXII. 11. & ab ipſo DEO Patre Eſ. XLIX. 6. his verbis: *Conſtitui te in lumen gentium, ut ſis* ישועתי *ſalus mea usq; ad terminum terræ*, ſive illud י affixum ad ipſum Patrem (ut aliqvi volunt) per κοινοποιΐαν unionis myſticæ referatur, qvaſi DEus ipſe ſalutem gentium pro ſua reputaret; ſive idem affixum 1. perſ. cauſam primariam & efficientem (qvod rectius videtur) denotet, ut *Salus DEI* idem ſit, qvod Salvator à DEO conſtitutus & miſſus. Qvicqvid ſit, absq; iſto pronomine eadem Eſaiæ verba efferuntur Act. XIII. 47. τοῦ εἶναί σε εἰς σωτηρίαν ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. Dicitur autem Chriſtus in abſtracto ישועה *Salus*, ad ſignificandam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

dam ἐξοχὴν & excellentiam, qvia (1) *ſolus ſalvat* Act. IV. 12. *Non eſt in alic qvopiam ſalus, nec aliud nomen datum eſt inter homines, in qvo oportet nos ſalvari*: (2.) qvia ſalvat perfectiſſimè *ab omni malo* Matth. I. 21. ſalutem noſtram hic inchoando, in altera vita conſummandô. Et videtur huc collimare Simeon ille ſanctus ſenex, qvi incarnatum hunc mundi Meſſiam ulnis ſuſcepit, oculisq́; perluſtratum, qvem fide ſperaverat, *ſalutare Dei* nominavit: νῦν ἀπολύεις, ait, τὸν δοῦλον σου δέσποτα, &c. ὅτι εἶδον οἱ ὀφθαλμοί μου τὸ σωτήριον σου (ſupra dictum, τοῦ Χριστὸν τοῦ Κυρίου,) ὁ ἡτοίμασας κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν λαῶν, φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν, καὶ δόξαν λαοῦ σου Ἰσραήλ Luc. II. 29. 30. 31. Non dixit τὸν σωτῆρα, ſed emphaticè τὸ σωτήριον, ut doceret eum eſſe non *nudum ſalutis præconem*, qvales & ante & poſt Chriſtum multi extiterunt, unde & qvi aliis viam ſalutis monſtrant dicuntur *ſalvare* 1 Cor. IX. 22. 1 Tim. IV. 16. ſed ipſum *fontem & cornu ſalutis*, ut loqvitur pater Baptiſtæ Luc. I. 69. Vid. Chemnitium h. l. Utitur autem Spiritus eadem voce de Chriſto Luc. III. 6. ex

Pſ.

Pſ.XCVIII.3. Eſ.LII.10. ubi vox ישועת à Luca redditur σωτήριον; item Actor. XXVIII. 28. ἀπεστάλη τοῖς ἔθνεσι τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ. Hic autem Simeon, ſi fides habenda qvibusdam Magiſtris, in ſpecie R. Dav. Ganzio, fuit prognatus magno iſto ſene Hillele; ſecundùm alios verò, qvod vero ſimilius eſt, ejus diſcipulus unà cum Jonathane Paraphraſte. Docetur enim in Tract. Talmud. *Pircke Avoth*, non defuturos ex Hillelis diſcipulis aliqvos donec veniſſet Chriſtus. Qvin & in eodem Simeone Magnæ Synagogæ Spiritum, qvi Prophetiæ donum utcunq; ſupplebat, cesſaviſſe ajunt iidem Talmudici in *Tract. Joma, cap. Tereth. bicalpi.* Et tamen miramur tam parcos eſſe in ejus laudibus Talmudiſtas, (licèt in Pircke Avoth non pauca de ejus doctrina memorentur,) qvod fortè malitiæ eorum imputandum, qvòd eum tam clarè de Chriſto teſtatum eſſe in publico loco malè eos habeat. Sed hæc obiter. Nam plura, qvæ adverſus hanc tam illuſtrem Jacobi Patriarchæ prophetiam contumaciter reponunt, nobis diſcutienda reſtant.

SEC-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

SECTIO III.

Argumentum.

(1) Qvid τὸ שבט ſignificet, legitimam poteſtatem, an Tyrannicam vim & pœnam? Nunqvam in malam partem per ſe ſumitur ea vox. (2.) Qvomodo Aſſur fuit furoris DEI שבט Eſ. X. Qvomodo Meſſiæ regnum שבט ברזל ſceptrum ferreum? (3.) An caſtigatio non receſſit à Judæis, ante adventum Meſſiæ? (4.) Notatur Judæorum falſa interpretatio & diſtinctio in vocibus עד כי. Qvàm bene audiat Jonathan apud Veteres Ebræos? Non confundendum Regnum Judæ & Regnum Meſſiæ. (5.) Hoc qvo ſenſu æternum? Cur thronus David dicitur? Cur beneficia Davidis fidelia? (6.) Qva occaſione Herodes conſtitutus Rex Judææ? Qvomodo in regno ſe firmavit?

vit? (7.) An ἀλλόφυλος *fuit? Examinatur ſententia Scaligeri & Caſauboni. De hujus Exercitationibus judicium. (8.) Herodes putativè, non propriè ac verè Judæus. Triplex vocis Judæi notatio. An proſelytis portæ hoc nomen conceſſum? Qvomodo D. Paulus fuit & Romanus & verè Judæus? Ejus patria Tarſus, omni literarum genere affluens. (9.) An Idumæi dicti Judæi? De* ἀμιξία *Tribuum. (10.) Proſelyti neq; ad Senatum, neq; ad Regnum admiſſi. Non ſoli Judah tribui proprium ſceptrum cont. Bechaium. De Aſſeſſoribus magni Concilii. De combuſtis tabb. genealog. adv. dubitantem Altingium. Solos Judæos ex tribu aut regno Juda intelligendos eſſe, qvalis non Herodes. (11.) An à Pompejo ſceptrum Judæ ablatum vel fractum? (12.) Nunqvam ante Chriſtum planè oppreſſa fuit Ju-*

dæa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

dæa gens. Qvàm bene ipſis fuerit ſub Romanis. (13.) Qvas pœnas DEO dederint, qvi ſacra Judæorum infeſtârunt. Summa Pompeji felicitas hôc modô concidit. Ejus cauſam veram ignorant Gentiles. Qvæ fuit profanatio Templi. (14.) Sacrilegium Craſſi punitum. Notatur Plutarchus. Item Polybius. Concluſio.

1. Poſtqvam ſuperiore capite non tantùm ex ipſo vaticinii illuſtriſſimi contextu partim ad literam, partim allegoricè, ut neceſſum eſt, expoſito, ſed etiam ex meliorum inter Ebræos Interpretum conſenſu, juxta ac analogiâ aliarum de Chriſto prophetiarum, ſatis, ut puto, manifeſtè declaravimus, qvòd per vocem שילה nemo, præter ſanctiſſimum Servatorem noſtrum JESUM CHRISTUM, à Divo Patriarcha indicatus fuerit, vel indicari potuerit: nunc de reliqvis, in qvibus incredulitati ſuæ miſera gens latebras qværitat, qvàm fieri poteſt breviſſimè agemus. Nam ſolet hoc freqventiſſimè ab illis obverti: qvòd, ſi vel

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

vel maximè per *Schilo* Meſſias intelligendus ſit, non tamen ita clarum ſit, per τὸ שבט *ſceptrum* denotari imperium Judaicum, & propriam aliqvam populo iſti Majeſtatem ſ. αὐτονομίαν, qvæ duratura ſit usqve ad adventum Meſſiæ: ſed potiùs pœnam deſignari & caſtigationem, qvæ, DEO ita volente & ordinante ob peccata nationis Judææ, illam premet manebitq; usq; ad adventum Regis Meſſiæ, ſub qvo ipſis in integrum reſtituetur, imò ampliùs florebit regnum Hieroſolymitanum, libertas, felicitas, gloria. Hinc autem ſubſumunt: qvia pœna & afflictio Divina, exilium à patria, & ſervitus aliena paſſim in toto terrarum orbe graviter eos vexat & conturbat: ideo nondum promiſſum exoptatumq; veniſſe Meſſiam. Adeoq; in hunc ſenſum, fidiculis velut contorqvent divinum oraculum: *Non tolletur* שבט i. e. *virga caſtigationis*, *à Juda* i. e. Iſraëlitis (qvi יהודים vocantur) *&* מחוקק i. e. *caſtigator à pedibus ejus*, *donec venerit* Meſſias. Sed figmentum hoc eſt ab ingenio procuſum, & novum ignotumq; veteribus Ebræis, qvi perpetuò fere שבט

pro

pro *Regno* aut *Principatu* ſumſerunt. Sic enim invenimus in *Maſſech. Sanhedrin* c.I.v.5. אין דנין לא את השבט i.e. *non judicant* (ſc. Seniores Synedrii magni) *Regem aut Principem.* Sic Ab. Ezra שבט גדולה *ſceptrum Majeſtatis* ſ. magnificentiæ reddit. In eundem qvoq; ſenſum R. Salomo Jarchi, R. D. Kimchi in *lib. Radic*, & præterea, refente Buxtorphio, R. Abr. Hiſpanus (Ben Chajah) in *Libro Tanchumah.* (qvi eſt commentarius in Legem, dictus aliàs ילמדנו i. e. *docebit nos*) R. Bechajus in ביאור על התורה *Explanatione Legis*, R. Moſes Ben Nachman in ſuo ביאור ſ. *elucidatione in Pentateuch.* R. Jiſchach Ben Arama in Comment. in Pentat. dicto עקדת יצחק, R. Chiskia in *lib. Chaskuni*, qvi itidem eſt comment. in *Pentat.* & Targum Jonathan מלכין ושליטין i.e. *Reges* ac *Principes* habet. Singularis verò eſt R. Moſes Haddarſan in בראשית רבא ſ. *Magno Comment. in Geneſin*, qvi per שבט intelligit לשכת הגזית partem templi, in qva *Sanhedrin* ſedebant, unde ipſi Judices חַכְמֵי הַגָּזִית ſubinde appellantur à Talmudicis. Vid. Tract. *Middoth*. c. 5.

Qvo-

Qvomodo deniq; pleriq; Interpretes in ſua qviſq; lingva retineant *ſceptrum* Ebrææ voci שבט non modò ſimile ſed & analogum, qvod conſvetudine loqvendi, & metonymiâ vulgari Regnum aut Principatum notat; vid. ſupra Sect. I. §. 3. Hoc affirmare auſim, fremitet Recutitus Apella, nunqvam in malam partem hoc vocabulum exponi poſſe, qvando qvidem per ſe & abſolutè poſitum invenitur. Alia verò ratio eſt, ubi ex annexo verbo aut nomine qvalitatem aliam recipit : ut, qvando dicitur Prov. XXII. 15. שבט מוסר qvod Paraphraſtes rectè vertit שבטא דמרדותא *virga reprehenſionis*, Prov. XXII. 8. שבט עברת *virga furoris*; vel qvando pro pœna ſumi contextus clarè indicat, ut Prov. X. 13. שבט *virga, qvæ adeſt corpori dementis* c. XIII. 24. *Qvi cohibet* שבט *virgam, odit filium ſuum*, c. XXIII. 13. *cum percuſſeris filium* בשבט *virgâ, non morietur*. c. XXVI. 6. *ut flagellum eqvo, ità* שבט *virga adhibetur tergo ſtolidorum* : vel qvando ἐξηγητικῶς in eodem textu alia vox caſtigationem ſignificans ſeqvitur, ut Pſ. LXXXIX. 33. *Viſi-*

tabo בשבט *virgâ defectionem eorum,* ובנגעים *& plagis iniqvitatem eorum*, & 2 Sam. VII. 14. *Caſtigabo eum* בשבט *virga hominum,&* ובנגעי *plagis humanis.* Qvis enim iſtiusmodi locis in ſenſum ſeqviorem hanc vocem uſurpari negabit?

2. Saltem duo hæc loca, qvæ pro ſe interpretantur Judæi, Eſ. X. 5. אשור שבט אפי *Aſſur virga furoris mei*, Pſ. II. 9. *conteres eos* בשבט ברזל *virgâ ferreâ*, non obſtare videntur, qvò minus שבט pro regno aut principatu legitimo accipiatur, utpote poteſtate delendi hoſtes divinitus inſtructô. Non enim primario ſenſu caſtigationem notat, ſed ſecundariò, non per ſe, ſed per accidens. Qvis enim dubitabit, Aſſyriorum Imperium & poteſtatem non fuiſſe à DEO ordinatam, adeoq; legitimam; *Non eſt poteſtas niſi à DEO*, ait Apoſtolus Rom. XIII. 1. 2. Qvin omnis Majeſtas non modò legibus munita, & præmiorum diribitrix, ſed & ὀργῆς atq; armorum adverſus hoſtes & rebelles miniſtra eſt, docente ibidem Paulo. Nec ideo deſiit

deſiit eſſe ſceptrum legitimæ poteſtatis, qvòd eô uſus eſt DEus ad caſtigandum populum degenerem. Nam, cùm *corda Regum in manu DEI ſunt* Prov. XXI. 1. facile ipſi eſt, hos qvidem in patrocinium Eccleſiæ ſuæ advocare, ut Cyrum in V. T. Eſ. XLIV. 23. XLV. 1. 4. & Imperatores Regesq; Ethnicos in N. T. c. XLIX. 23. illos verò, ut miniſtros juſtiſſimæ ſuæ vindictæ, adverſus gentem impiam & infidelem armare, ut Pharaonem, Sennacheribum & Nebuchadnezarem, aliosq; Moabitarum, Chaldæorum atq; Syrorum Reges, qvos dicitur *immiſiſſe contra Jehudam, ad perdendum eum* 2 Reg. XXIV. 4. Sic & Attila ille Hunnorum Tyrannus ſe *flagellum DEI* eſſe prædicabat. Certè Babylonicum Imperium reſpectu Judæorum, qvibus pœna parata erat, fuit מטה רשעים *baculus* ſ. virga *improborum*; ſed reſpectu Gentis Babylonicæ, cui imperabat, שֵׁבֶט מוֹשְׁלִים *ſceptrum dominantium*, vel poteſtas legitimæ dominationis Eſ. XIV. 5. Conf. Ezech. VII. 10. 11. Hab. III. 14. Ita qvoq; de ſceptro Regio

Meſſiæ, qvamvis per ſe ſit feliciſſimum, maximeq́; ſanctum & legitimum, ut *Regis inuncti in monte ſancto Zion*, dicitur tamen *baculi* inſtar *ferrei* confracturum gentes & refractarios populos Pſ. II. 9. Num. XXIV. 17. Eſ. IX. 3. Vid. Gisb. Voëtii *Diſp. Select.* p. 58. Qvia enim *ſceptrum Regni Meſſiæ* fuit *ſceptrum rectum* Pſ. XLV. 7. non potuit non & *ſceptrum aureum* gratiæ eſſe (Eſth. V. 2. שרביט הזהב) in pios & fideles, & adverſùs contumaces ac impios *ſceptrum ferreum*, שבט ברזל, id eſt, ut bellè expoſuit Clemens Alexand. *Pædag. lib. I. c. 7.* ῥάβδος παιδευτική, ἀρχική, κατεξουσιαστική, *virga diſciplinæ, imperii & poteſtatis, ut, qvibus verbũ ſvadens & admonens non medetur, eis minæ medeantur; qvibus autem minæ non medentur, eis virga medeatur: qvibus v. virga non medetur, eos ignis conſumat.* Illud eſt gratiæ, hoc juſtitiæ. Nec tamen opus eſt, ut שבט ſignificet pœnam, ſed potiùs cauſam pœnæ, utpote potentiſſimum ſceptrum, à qvo hoſtes Meſſiæ levi negotio evertentur & confringentur, ut *per virgam ferream vaſa figulina.* Fateor

or vetuſtiores Ebræorum de pœna expoſuiſſe, ſed non omnes de corporali pœna. R. Salom: *Sceptrum ferreum* i. e. *gladius*. Rectiùs autem R. Obadiah in h.l. *cum virga, ſicut ferrô*, i.e. *Virgâ oris, qvæ percutiet rebelles Eſ. XI*. 4. Atqvi, de tali pœna ſi agerent Judæi, faciles concederemus eis, eam non receſſuram, ſed graviſſimè afflicturam eos, qvi Spirituali Regno Domini Meſſiæ ſe opponunt, qvippe qvos *ille abſumet Spiritu oris ſui, & illuſtri adventu ſuo abolebit* 2 Theſſ. II. 8. *Nam ex ore ejus prodibit gladius acutus, ut eô percutiat infideles, qvos reget virgâ ferreâ* Apoc. XIX. 15. Ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, planè ſicut LXX. reddiderunt illud תְרֹעֵם בְּשֵׁבֶט בַּרְזֶל ac ſi hoc verbũ eſſet à ad. רעה *pavit*, cum ſit à rad. רעע *confregit*.

3. Verùm, ſi vel maximè Judæis demus, illud שבט in oraculo Jacobæo *virgam correptionis* ſignificare, nihil tamen inde ipſis acceſſerit. Dicant enim nobis, ſi qvâ cum ſpecie veritatis poſſint, qvomodo, poſtqvam Regnum in Tribu Juda eſſe vel nominari cœpit, caſtigatio illa, qvam de

injuſta Gentiũ dominatione & ſuæ gentis exilio & ſuppreſſione explicant, à Juda non receſſerit? Ex hiſtoria eqvidem ſacra nihil certius eſt, qvàm eò magnitudinis & potentiæ perveniſſe Judæos, ut hoſtibus ſuis non ſolùm pares, ſed & formidabiles exſtitetint; tantumq; abeſt, ab ullo unqvam hoſte penitus fuerint ſuperati, aut absq; intermiſſione divexati, ut magìs vicinis nationibus, excuſſo omni ſervitutis jugô, vel jura dederint, vel certè terrorem incuſſerint, usq; ad tempora Jechoniæ & Zedechiæ, Regum ultimorum, qvando, juſtiſſimâ Nemeſi ad delicta Gentis & ἀμετανοήτους καρδίας connivere ulteriùs non volente, in prædam hoſtibus ceſſerunt, & in captivitatem, exſilia & mille calamitates alias inciderunt. Qvid? nonne ſolus David Rex ſubjugâſſe & vectigales ſibi feciſſe memoratur Moabitas, Ammonitas, Philiſtæos, Amalekitas, Syros, Zobæos & Damaſcenos 2 Sam. VII, 12. ſeqq. Nonne de Salomonis potentia dicitur, qvòd *in ditione ſua habuerit omnia regna, à flumine terræ Philiſtiim, usq; ad terminos Ægypti; qvæ offerebant ei munera,*

& ſerviebant ei cunctis diebus vitæ ejus 1 Reg. IV. 21. In ſumma: qvicqvid Regnorum erat inter Euphratem fluvium & terminos Ægypti, Imperio tunc Judaico acceſſerat. Sub reliqvis Judæ Regibus ultrò citroq; fortuna ſe jactavit, usq; ad captivitatem Babylonicam. Nec tamen per eam penitus de magnitudine gentis actum fuit: qvin ſæpè victoribus victi negocium faceſſêre, id qvod Maccabæorum invicta virtus & propria ἀυτονομία, & vires ſub Aſamonæis tantæ, ut vel inimicos preſſerint, vel amicos ſuo fœdere beatos fecerint, ſatis ſuperq; teſtantur. Sed hæc, in qvibus non parva vis demonſtrationis latet, poſtea tam ex prophanis, qvàm Judæis Auctoribus fuſiùs proponemus.

4. Secundô locô reponere ſolent increduli Verpi, *qvòd, ut ut concedatur & per Schilo Meſſiam, & per* שבט *non caſtigationis virgam, ſed regnum vel ſupremam majeſtatem intelligi, poſſit tamen hic eſſe vaticinii ſenſus, qvòd non auferetur à Judæis hoc ſceptrum, poſtqvam Meſſias venerit*, i.e. Meſſiæ regnum, poſtqvam cœperit, fore æternum. Verùm enim

verò totum hoc commentum à manifeſta textus depravatione reſultat, qvæ, ut ſupra diximus, dupliciter committitur: (1.) diſtingvendô inter 2. particulas עד & כי. (2.) interpretandô עד *æternum*, &, כי *qvando* vel *qvoniam*. Unde ſenſus erit: non recedet ſceptrum à Jehuda עד i. e. *æternùm*, כי i. e. *qvando venerit Schilo*. Eas liras jam ante exploſimus *Sect. I. §. 10. tùm*, qvòd Grammaticis ignotum ſit ex *Jetif* pauſam facere; neq; hîc opus ſit accentu diſtinctivo in voce עד, cùm proximè præcedat Athnach in voce רַגְלָיו: *tùm*, qvòd vox עד nunqvam *ſeculum* vel *æternitatem* denotet juncta cum aliis particulis, ut h. l. עד כי, licèt abſolutè poſita ſic nonnunqvam explicanda veniat, ut Eſ. LVII. 15. Job. XX. 4. *tùm* deniq; qvòd hoc inventum novitiorum, incognitum ſit ſimplicioribus vetuſtiorum ejus gentis Interpretum commentariis & antiqviſſimis Targumim. Eſt nobis in pretio Jonathan, cujus in paraphraſi qvid clarius eſt, qvàm qvod habet: עד זמן דייתי מלכא דמשיחא i. e. *usqve ad tempus ad-*

ven-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

ventus Meſſiæ? Qvàm malè audiat idcirco apud poſteros ſuos, progeniem vitioſiorem, jam ante diximus. Qvibus in mentem revocavimus honorificum illud & pene divinum elogium, qvô idem Jonathan ornatus legitur in *Tr. Talmud. Megilla*, & cujus hic partem repræſentabimus; ſic autem inqviunt:

תרגום של נביאים יונתן בן עוזיאל אמרו׳
ונזדעזעה א׳ י׳ ד׳ מאות פרסה׳ יצאת בת קל
ואמר׳ מי הוא שגילה סתרי לבני אדם׳ עמד
יונתן בן עוזיאל על רגליו ואמר׳ אני הוא
שגיליתי סתריך לבני אדם׳ גלוי וידוע לפניך
שלא לכבודי עשיתי ולא לכבוד אבא אלא
לכבודך עשיתי שלא ירבו מחלוקות בישראל:

i. e. *Paraphraſin Prophetarum enarravit Jonathan Uzielides, & tum commota tremuit terra Iſraëlis 400. milliaribus; exiit autem vox de cœlo dicens: qvis ille eſt, qvi arcana mea hominibus revelat? Tunc Jonathan Uzielides pedibus ſuis inſiſtens reſpondit: Ego is ſum, qvi revelo arcana tua mortalibus. Manifeſtum autem notumq; tibi eſt, qvòd non me-*

am in gloriam aut Patris mei id faciam, ſed in tuam gloriam, ne qva poſt hæc contio inter Iſraëlitas oriatur, ſc. ſuper locorum Scripturæ obſcuriorum vero ſenſu, &c. Qvicqvid ſit, non humanâ autoritate hic pugnamus adverſus opinionem novam, qvæ ipſi Textui S. καδδιάμετζον repugnat. Confundunt enim Judæi Regnum Meſſiæ cum Regno Judæ, qvæ duo in ipſo textu apertiſſimè contradiſtingvuntur. Regnum enim Meſſiæ poſt ruinam Judæ Regni exſtiturum prædicatur, inq; ejus locum ſucceſſurum, non qvidem ut contrarium, ſed ut multò amplius, perfectius & glorioſius. Imperfectum enim à perfecto aboletur. Qvod ſi autem Regnum Meſſiæ dixerint fore reſtitutionem & continuationem regni Judæ, qvia Meſſias oriundus erit ex tribu Juda & in ſolio Davidis ſeſſurus dicitur & in ejus regno, qvod ut ampliſſimum, ità absq; fine durabit, juxta Prophetiam Eſaiæ c. IX. 7. coll. Luc. I. 22. unde alibi *Meſſias* per ἀντονομασίαν Propheticam *David* appellatur Jer. XXX. 9. Ezech. XXXIV. 24. non ſtatim tamen effecerint, ut credamus Meſ-

ſiæ

ſiæ regnum tale futurum. qvale illi continuò ſomniant, temporale & ſolis Judæis ſalutare ac glorioſum. Hoc enim, ſi vel maximè (qvod fieri nunqvam poteſt) pro rato haberemus, certè actum eſſet de iis, modò ſibi conſtarent, & qvod ſemel ἐκ παρερμηνείας admiſerunt, non iterum, magnô ſuæ levitatis indicio, repudiarent.

5. Fatentur Regnum Meſſiæ fore æternum. Bene eſt! non negamus. Sed dicant nobis, qvando habuit iſtud Regnum ſua initia? An demum poſt Meſſiæ adventum? Neqvaqvam: ſi temporale eſt, ut illi opinantur. Ipſi enim Davidi, primo ex tribu Juda Regi, ejusq; filio Salomoni æternum Regnum promiſſum erat. 2. Sam. VII. 13. 1 Par. XXII. 13. Pſalm. LXXXIX. 34. 35. 36. ſeqq. An ergo ante Meſſiæ adventum? qvomodo tunc æternum diceretur, qvod mutationi erat obnoxium. Certè neq; poſt Meſſiæ adventum id Regnum, qvale qvidem exſpectatur à Judæis, futurum eſt æternum. Nam & ipſum Regem Meſſiam exſcindendum, &, paulò poſt ejus cædem, Regni ejus primariam ſedem & civitatem cum ſan-

ſanctuario evertendam, qvod dudum contigiſſe ſciunt, prædixit Daniel c. XI. 26. Seqvitur ergo, non de hoc mundo futurum Meſſiæ Regnum, (prout ipſe loqvitur Joh. XIIX. 36.) ſed ſpirituale, non in una Tribu Judah vel reliqvis, qvæ Davidi & Salomoni paruerant, tantùm, ſed in omnibus Gentibus ac populis, ad Meſſiam Regem per Spiritum Verbi & Sacramentorum efficaciam undeqvaq; convocatis; ſicuti ex verbis יקהת עמים jam ante expenſis, luce meridiana clariùs indicatur. At, inqviunt, qvomodo Regnum tale *Solium* ſ. *thronus* Davidis appellatur ? Nonne conſtat Davidis Regnum fuiſſe de hoc mundo ? Reſpondemus: Regnum Meſſiæ non ideo dici thronum Davidis, qvòd Meſſias vel in Judæa pompam & magnificentiam externam, vel potentiam in Gentes ſecularem Davidicæ parem aut ea majorem oſtentaret; abſint iſta deliria, nunqvam cum mente Prophetarum convenientia ! ſed *partim*, qvia Meſſias ex Regia ſtirpe David naſceretur ſecundùm hum. nat. *partim* qvia beneficia ſpiritualia, pacem, gratiam & gloriam veris Iſraëlitis, non ſecundùm

car-

carnem , ſed ſec. ſpiritum , diſpenſaret, prout David Rex & Salomon filius ejus, typi Meſſiæ Regis,ea omnia,carnalî modô & externô beneficio , ſolis qvondam Judæis abundè ſuppeditaverant. Extat illuſtris Prophetia totum hoc declarans Eſ. LV.3. *Pangam*,ait Dominus, *vobiscum fœdus æternum* , חסדי דויד הנאמנים *beneficia Davidis ſtabilia*, ſive, *fidelia*, i.e. præſtabo, qvæ promiſi Davidi , beneficia, qvæ ipſe ſc. prædicat Pſ. LXXXIX. cujus initium : חסדי יהוה עולם אשירה *Beneficia DEI in æternum cantabo* , *& generationibus notam faciam* אמונתו *fidem ejus*, ſc. in præſtandis promiſſis : qvænam verò illa ſunt ? *Dixit DEus : pepigi fœdus cum electo meo, juravi Davidi ſervo meo,usq; in ſeculum ſtabiliam ſemen tuum, & ædificabo in omnes generationes ſolium tuum.* Certè,licèt עולם poſſit eſſe terminus legis & V. T. tamen qvod dicitur דור ודור adfinem usq; mundi ſe extendit. Atq; cùm mundanum & terreſtre Davidis ſolium nuspiam à tempore Herodis M. apparuerit, neceſſe eſt, regnum illud æter-

num

num Davidi promiſſum fuiſſe ſpirituale, in qvo ſemen Davidis Chriſtus ei ſucceſſit in æternum. Nec aliô modô per Meſſiam facta eſt reſtauratio *collapſi tabernaculi Davidis*, juxta Amos. IX. 11. 12. Conf. Act. XV. 16. Hoc eqvidem argumentum peremtorium eſt contra Judæos χειστομάχους, præſertim ubi adverſus eos evicta fuerit Danielis prophetica αὐθεντία, & demonſtratum in ejus c. IX. 26. per משיח הנגיד Chriſtum noſtrum intelligi; qvod penſum proxima disqviſitione σὺν Θεοῦ παλάμᾳ abſolvemus.

6. Huic tam manifeſtæ veritati qvia fruſtrà ſe obluctari vident acutiores Rabbini, ad aliam exceptionem, tanqvam ad ultimam & ſacram anchoram, confugiunt. *Qvod ſi*, ajunt, *locus hic ad mentem veſtram accipiatur, nihil alind ſeqvetur, qvàm ſceptrum inter Judæos ſemper permanſurum, donec Meſſias venerit. Qvod cùm adhuc inter eos reſiduum ſit, patet Mesſiam nondum veniſſe.* Qvas non, eheu! chimæras ſibi fingunt vecordes, καὶ ὑπηνέμια ὀνείρατα, ut ſuæmet incredulitati velificentur. At nos, ut tandem

dem uno ictu ſuperſtitem hunc nodum, rejectis illis ſomniis, qvorum tamen aliqvis deinceps conſpectus dabitur, diſſolvamus, qvoniam hactenus vaticinium Patriarchæ de Regno & Principatu inter Judæos duraturo usq; ad tempora Meſſiæ explicandum eſſe ſat firmis rationibus evicimus, ita adv. illos κατὰ βίαιον inferemus: Si Chriſtus tum venturus eſſet, cùm nullum in Juda, ſ. inter Judæos, ſceptrum ſupereſſet, ſeqvitur, qvòd, cùm nullum hodie poſt 1600, &, qvod ſuperat, annos ſceptrum extiterit, ac ne ſceptri qvidem veſtigium inter Judæos, Chriſtus dudum venerit. Concluſio hæc eſt omni exceptione major, & qvæ cum omni hiſtoriarum fide exactè convenit. Refert enim ex Aſamonæa ſ. Maccabæorum inter Judæos gente Joſephus (φιλαληθέστατος Scriptor & *Judaicarum antiqvitatum vernaculus vindex*, ut audit Tertulliano *Apolog. adv. Gentes*; cujus qvam fidem mereatur Hiſtoria non apud Chriſtianos modò, ſed & Judæos, luculenter diſſerunt Voſſius *de Nat. ann. Chr.* p. 8. & de *Hiſt. Græc. lib. II. c.* 8. Magnus Scaliger in *Proleg. ad Emend. Temp.*

Temp. paſſim, Montacutius *Analect. Exerc. X. ſect. 1. ſeqq.* & in *Appar. II. ad orig. Eccl.* n. 16. p. 82. Cunæus *de Rep. Hebr. p.* 258. it. Noldius noſter in *præf. Hiſt. Idum.* fruſtrà ringentibus inter Pontificios Maſiô *in Joſv. p.* 299. Bellarmino *Controv. t. 3. l. 4. c. 3.* & *de Script. Eccl.* Leon. Allatio *Not. in Euſtath. Hexaem.* aliis) *lib. I. de Bell. Jud. c. 5. & ſeqq.*, qvomodo, poſtqvam mutuis odiis & præliis Ariſtobulus & Hyrcanus, Maccabæorum poſtremi, ſeſe invicem confecerant, Romani, Judæâ ſubactâ, Herodem Antipatri Idumæi filium Regem conſtituerunt. Seriem hujus rei paucis comprehendemus. Dum Ariſtobulus & Hyrcanus de ſumma rerum contendebant, Antipater Idumæus illum ſuſpectum habens, huic ſe addixit, & ad occupandum Regnum Autor fuit: &, ut erat animi callidus, Aretham Arabum Regem in belli ſocietatem pertraxit. Victus itaq; prælio Ariſtobulus Hieroſolymam fugit, ubi obſeſſus ab Aretha, & tandem, poſt tertium obſidionis menſem, per Pompejum expugnata urbe, Romam captivus abductus fuit. Tum Hyrcano domi-

dominatio permiſſa fuit; qvam brevi obtinuit. Nam contra eum Parthos evocavit Antigonus Ariſtob. filius. Ad ipſos verò miſſi Legati Hyrcanus & Phaſaëlus contra jus gentium uterq; captivi detenti ſunt;& mox Phaſaëlus, cùm ſe interficere ipſe propter vincula non poſſet, capite ſaxis illiſo exſpiravit. Interea, abſente Hyrcano, Herodes Antipatri fil. ut viam ſibi ad ſummam dignitatem pararet, neptim Hyrcani Mariammen matrimonio ſibi devinxit; qvam tamen poſtea ſpretam cum Hyrcano nefariè ſuſtulit: ut, legitur apud Joſephum & Egeſippum. & Autorem *Zemach David*. Mentionem qvoq; hujus rei fecerunt Talmudici *in tract. Bava Bathra*, ubi tamen Mariammen vel invitam Herodi nupſiſſe, vel, qvia noluit, præcipitio datam eſſe nugantur. Nec tantùm Mariammen uxorem, Avumq; ejus Hyrcanum, ſed etiam, qvia unum Herodi conſilium erat totam Aſamonæorum familiam exſtirpare, Ariſtobulum Mariammes fratrem, Matremq; Alexandram, & affines Joſephum & Coſtabarum interfecit: tantusq; ejus furor

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

erat, ut etiam in proprium genus, Pheroram fratrem, filiumq; Antipatrum & mox duos alios crudeliter graſſatus ſit, ut verè dixerit Auguſtꝰ Imp. qvòd *præſtaret porcum Herodis eſſe, qvàm filiū* apud Macrobium *Saturnal.* l. II. c. 4. Vid. Joſephi *Antiqvit.* l. XV. de *Bello Jud.* l. I. Egeſippi de *Excid.* l. 1. Strabonis *Geograph.* l. XVI. Qvin, ne qvis ex Judæis reſtaret, qvi populari aurâ ſubvectus ipſi dubiam regni uſurpationem faceret, ſplendidiores alias familias, in Tribu Juda præcipuè, evertit, & genealogias ac archiva gentis combusſit aut disperdidit, ut eſt in Chronolog. Jud. *Seder Olam Zutha*, cujus verba ſunt: *Ei nempe Antigono Ariſtobuli filio ſucceſſit Herodes Antipatri fil. ſervus Maccabæorum* ומרד והרג כל בית אדניו *& rebellavit, & occidit omnem familiam Dominorum ſuorum.* Conf. Evſebii *Hiſt. Ecclеſ.* l. I. c. 7. Cæterùm Rex conſtitutus fuit Judææ ab Auguſto Victore (licèt ante ab Antonio ad Regnum deſtinatus, ut tradit Strabo Geograph. l. XVI. p. m. 526.) Vid. Joſephi Antiqvit. l. XIV. c. 26. l. XV. c. 10. Atq; ità is primus ex gente Idu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Idumæa ſceptrum Judaicum in ſuam familiam tranſtulit, πρῶτος τῶν ἀλλοφύλων, ut habet Euſebius Hiſt. Eccl. l. I. c. 7. Sed qvia hîc non leve negocium nobis faceſſerunt maximi viri, rationes eorum paucis expendemus.

7. Scaliger in Animadverſionibus p. 148. 159. negavit hunc Herodem (dictum Magnum) alienigenam ſive ἀλλόφυλον fuiſſe: idq; præcipuè, qvòd Pater ejus Antipater fuit Idumæus; Idumæi verò inde ab Hyrcani tempore pro Judæis fuerunt habiti, teſtante Joſepho *Antiq.* l. XIII. c. 17. Idem dubium nobis movit acutiſſimus, Caſaubonus, qvi, ſi credimus Lanſio *orat. pro Gall. p.* 229. *omnes doctrinæ opes veluti in ſanctiore qvodam ingenii ærario habuit*; Heinſio autem in Theocrit. *eruditionis Sol, & ætatis decus* nominatur: ut alia elogia hujus viri prætereamus, qvibus paſſim & meritò ornatur à Barthio, Joſ. Scaligero, Gerh. Voſſio, aliis. Et nos qvidem, cum Cunæo *de Rep Ebr.* lib. I. c. 8. eum Virum ſeculi noſtri primarium ità veneramur, nemo ut nobis præ illo magnus ſit; ideoq; judicamus melius

feciſſe Spondanum, ſi in præf.ad Epitomen Annal. Baronii, multiplices illas pitanologias, parachronismos & par-hiſtorias, imò varias adv. Eccleſiam Veterem calumnias, qvæ in magnis iſtis Baronii Annalibus magnô numerô occurrunt, emendare aut aliqvô modô excuſare tentâſſet, qvàm ut diligentiſſimum eorum, velut cujusdam Augiæ ſtabuli, purgatorem Caſaubonum tam indignis cavillis traduceret. Licèt non diffiteamur, ut nihil eſt in humanis ab omni parte beatum, ita in laudabili Caſauboni opere non paucos nævos conſpici, cùm ſæpè unum vitium fugiens in contrarium dilabitur. Cujus qvidem manifeſtum ſpecimen hîc exhibere cogimur. Putavit ſcilicet ille Baronii Caſtigator *in Exercit.I.* §.2.3. plerosq; Patres, unô fortè Juſtino Martyre exceptô, non rectè ſenſiſſe, qvòd vaticinium Patriarchæ, de qvo agimus, in Herode M. ut alienigena adimpletum fuerit. Et plurimas qvidem rationes adfert, qvibus contrariam ſententiam adſtruere conatur. Eas inter *primam* cum Scaligero communem habet, qvòd is non rectè dicatur ἀλλόφυλος, qvi

qvi ex Idumæis in Judæos tranſcriptus, & cui omnia ferè jura ſacra & profana cum veris Judæis, more Proſelytorum, erant communia, adeoq; pro Judæo non immeritò habendus, qvod probat ex Philone *de Monarchia.* Qvemadmodum & DEI præceptum extat Deut. XXIII. 7. *Non abominaberis Idumæum, qvia frater tuus eſt.* Qvia verò Herodes talis fuit, qvippe qvi Patrem Antipatrum & Avum Antipam, & fortaſſe etiam plures è Majoribus, factos ex Idumæis Judæos, &, ut ipſi loqvebantur, מתיהדים i. e. Ἰουδαιωμένους habuit; ideo alienigenam minimè cenſendum eſſe exiſtimat, ſed Judæum & indigenam & ἐπιχώριον ἄνδρα, ut ipſum appellat Strabo *l. XVI.* Altera Caſauboni ratio eſt: qvòd, licèt Herodes non fuerit Judæus, neqvaqvam is tamen primus fuerit alienigena Princeps, qvi ſuo ſceptro Judæos ſubjecerit. Nam, vigeſimô octavô ante ejus regnum annô, urbem captam fuiſſe à Pompejo, & tunc libertatẽ Judæis ereptam, ipſos factos tributarios, Aſamonæos, ſemel de gradu dejectos, eam deinceps coactos ſubire perſonam, qvam Romani imponebant.

bant ; Regem Ariſtobulum captum, Romamq́; abductum & tandem venenô ſublatum : filium ejus Alexandrum ſecurî percuſſū : Hyrcanum autem, Regiô nomine denegatô, Pontificem à Pompejo creatum eſſe. Hoc itaq; tempore ſubjectos fuiſſe Romanis Judæos ; ideoq́; non ſub Herode primùm alienigenæ imperium expertos eſſe concludit : firmatq́; autoritate Joſephi *Lib.XIV*.8. & Rabbinorum, qvi in lib. Juchaſin p. 15. ajunt: אז התחיל גלות אדום *tunc cœpit captivitas Edom ;* i.e. Romana. Ut alia taceamus à Viro undeqvaq; doctiſſimo in hanc rem congeſta : certè præcipua hæc ſunt, in qvibus excutiendis ut aliqvam operam navemus, ſumma neceſſitas reqvirit.

8. Qvod ad primam itaq; Caſauboni rationem : non negamus Herodem fuiſſe inſititium Judæum, & Proſelytum ex Idumæo factum unà cum Majorum ſuorum aliqvot, imò pro fratre Judæorum habendum juxta Deut. XXIII. 7. atq; adeò certo reſpectu Judæum. Sed non concedimus, verè ac propriè fuiſſe Judæum, cùm aliud ſit *eſſe*, aliud *haberi*, qvod intelligunt, qvi-

qvibus aliqvid læva ſub parte mammillæ ſalit. Notamus enim, nomen *Judæi* triplici maximè ratione dici apud tam profanos, qvàm Sacros Scriptores: (1.) & primariò pro eo, qvi erat ex aliqva iſtarum tribuum, qvæ ſceptro Jehudæ, poſt X. tribuum fatalem ſeceſſionem, adhæſerant, tribus ſc. in ſpecie Jehudæ, Benjamin & Levi, qvas uno *Judæ* nomine veniſſe jam ante demonſtravimus; & ſic Mardochæus, ex tribu Benjamin, Vir Judæus dicitur in lib. Eſther. (2.) & latiore ſignificatione, pro eo, qvi, ex ulla tribuum Iſraëliticarum oriundus, Religione Judaica per omnia ſe Jeroſolymitanis conformabat. De qva re Dio Caſſius Hiſt. Rom. l. XXXVII. loqvitur: φέρει δὲ καὶ ἡ ἐπίκλησις καὶ ἐπὶ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, ὅσοι τὰ νόμιμα αὐτῶν (ſc: Ἰουδαίων) καίπερ ἀλλοέθνεις ὄντες ζηλοῦσι i. e. ut vertit Xylander: *eqvidem & alii homines, qvi ſecundum eorum ſtatuta vivunt, id cognomenti gerunt, qvanqvam alienigenæ*; fortè meliùs vertiſſet ἀλλοέθνους *aliarum tribuum homines*, niſi etiam Proſelytos intelligat Caſſius. Certum enim eſt, etiam (3.) id nomen tribui iis, qvi religione tantùm, &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

non ortu eſſent Judæi, ſed nec Iſraëlitæ qvidem; qvi, ut ad circumciſionem totamq; adeò legem obligati, *proſelyti juſtitiæ* dicebantur & diſtingvebantur ab aliis, qvi licèt non eodem nexu ſacrorum Judæis conjuncti, at ex jure qvodam gentium communi tolerabantur inter Judæos, hac ſaltem conditione, ut ad præcepta Noachica totum orbem obligantia viverent, dicti idcirco *proſelyti Portæ*, ſive *inqvilini*: vid. Maimonid. tr. מלכים. De his, an Judæi item potuerint appellari, nonnulla dubia ſunt. Unum eſt, qvòd Samaritani, licèt à cultu Judaico abhorrentes, & homines ἡμίτομοι, inter DEum verum ac Idola ſua venerationem ac obſeqvia ſua dividentes 2 Reg. XVII. 32. 33. potiſſimas Judææ partes habitârint, adeoq; ἐπιχώρειοι qvidem dici potuerint, Judæos autem dictos ullibi non meminimus. Vid. *Hiſt. Idum.* Noldii p. 336. Alterum eſt: qvòd de iisdem reſponſum inveniatur, qvòd non eſſent Judæi ap. Joſephum *Antiq. l. XI. c. 8.* Eôdem autem modô, qvô de Samaritis incertum, an dicti Judæi, etiam de aliis inqvilinis dubitare licebit. Jam verò

rò, fuerit Herodes, ut Idumæus & proſelytus, appellatus Judæus, unde eum ἐπιχώριον ἄνδρα, dixit Strabo; fuerit etiam Patre proſelyto natus in Judæa, unde eum τὸ γένος Ἰουδαῖον nominant Joſephus *Antiq. l. XX. c.* 6. & Egeſippus *de Excid.* l. II. c. 8. at tamen non fuit verè Judæus, ſed ἀλλόεθνος alienigena, Judæo nomine gaudens, ut memorat Dio loc. cit. Lubet hîc de Apoſtolo Paulo qvædam non ἀπροσδιόνυσα adjungere. De eo qværi poteſt, qvomodo, cùm Romanus eſſet, ἄνθρωπος Ῥωμαῖος Act. XXII. 25. ſe ipſum tamen appellaverit Judæum Tarſenſem Act. IX. 11. 30. Eqvidem utrumq; verum eſt, licèt diverſa ratione. Fuit proſelytus, non religionis Judaicæ, ſed civitatis Romanæ, qvam qvidem non pecuniâ emerat, ut alii, ſed naſcendi jure adeptus erat Act. XX. 28. natus in Tarſo, Romanâ coloniâ, & τῆς Κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλει. c. XX. 39. ſed Parentib9 Judæis: unde ſe φύσει Ἰουδαῖον nuncupat. Gal. II. 15. & qvidem ex tribu *Benjamin*, *Judæum ex Judæis*, imò κατὰ νόμον φαρισαῖον Phil. III. 5. An Tarſus colonia fuerit vel municipium Romanor. non opus eſt disqvirere, poſterius licèt conveniat Act. XXII. 28.

 Vid.

Vid. Heinſii *Exercit. h. l.* Hoc notabile, qvod habet Joſephus *cont. Apionem*, apud alias qvidem gentes Colonis ſuorum manere nomina conditorum; ſic Seleucum hoc tribuiſſe Judæis Antiochiam habitantibus, ut jure πολιτείας, non Syri, ſed Antiochenſes dicerentur: *Romanorum* verò φιλανθρωπίαν *omnibus ferè nomen communicâſſe ſuum, non hominibus modò, ſed & gentibus, ac qvidem totis. Iberos ergo Veteres, Tyrrhenosq; & Sabinos Romanos dici.* Hôc ergo modô Paulus, qvi erat Judæus Tarſenſis, Romanum ſe appellat, propter honorem, eximiumq; civitatis jus, qvod ܪܗܘܡܝܘܬܐ *Romanitatem* Syrus h. l. interpretatur. Obiter hoc addo, non mirum eſſe, qvòd hic Apoſtolus, præter illam ſpecialem Sp. S. & immediatam inſpirationem, qvâ cum ipſo reliqvi Scriptores S. extra lapſus & erroris periculum poſiti fuêre, propriam qvandam habuerit & habitualem in dicendo ſcribendoq; eloqventiam, & tot ex Philoſophia Gentili petita acumina; cùm de patria ejus Tarſo hoc notavit Strabo: *lib. XV.* τοσαύτη δὲ τοῖς ἐνθάδε (ſc: ἐν Τάρσει) ἀνθρώποις σπουδὴ πρός τε φιλο-

φιλοσοφίαν, καὶ τὴν ἄλλην ἐγκύκλιον ἅπασαν παιδείαν γέγονεν, ὥσθ' ὑπερβέβληνται καὶ Ἀθήνας καὶ Ἀλεξάνδρειαν, καὶ εἴ τινα ἄλλον τόπον δύνατον εἰπεῖν, ἐν ᾧ σχολαὶ καὶ διατριβαὶ τῶν φιλοσόφων καὶ τῶν λόγων γεγόνασι. i. e. *Tantum Tarſenſibus ſtudium rerum Philoſophicarum, & diſciplinarum, qvas encyclicas dicunt, inceſſit, ut ſuperaverint Athenas, Alexandriam, & ſi qvis alius nominari poteſt locus, ubi ſcholæ Philoſophorum & diſceptationes rerum habentur*. Nunc ad ſcopum noſtrum revertimur.

9. Si qvid eſt in Argumento Caſauboni (qvod & ante eum Scaliger, & poſt eum Scultetus Delit, *Evang. c.*13. oppoſuerunt,) roboris, hoc certè eſt, qvod ipſe refert Joſephus: poſtqvam Johannes Hyrcanus integro ferè ſeculô ante Herodis regnum Idumæos, bellô difficilî victos, ad ejusdem doctrinæ & cultuum profeſſionem mandatâ eis circumciſione adegiſſet; Idumæos re ipſa Judæos factos eſſe, ὥστε εἶναι, inqvit, τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους, *ut ab illo tempore Judæi eſſent. Antiq. l. XIII. c.*17. Sed tota illa argumenti vis evaneſcet, ſi dixerimus: eos verè & propriè Ju-

Judæos fuiſſe, qvi non religione tantùm ad Judaicam rempublicã pertinebant, ſed qvi ortu & natalibꝰ erant Judæi, ex tribu Juda, prout ea tùm à reliqvis tribubus, tùm vel maximè ab aliis nationibꝰ, bonū licèt Hieroſolymæ qværentibus, diſtincta fuit jam inde à temporibus Jacobi. Atq; hôc modó vix Benjaminitæ & Levitæ, licèt in eadem cum Judæis politia Judæorum vulgò nomine venirent, veri erant & genuini Judæi, i. e. ἐκ φυλῆς Ἰούδα. Manſit enim diſtinctio tribuum, ut ut tandem, labente legum divinarum vigore, miſcuiſſe ſe conjugiis dicantur, contra expreſſam legem Num. XXXVI. 6. 7. Nec tamen nova hæc diſpenſatio fuit, qvæ ad minimum à Schismate X. Tribuum originem ſumſiſſe videtur, qvando in unam gentem Tribus Juda, Levi & Benjamin coaluerant. Nam ex tribu Juda & qvidem ex Regio ſtemmate uxorem habuit Jojadas ſummus Pontifex 2 Paral. XXII. 11. ut mirer, cur Philo *l. 2. de Monarch.* dicat præceptum fuiſſe Pontifici μνᾶσθαι μὴ μόνον γυναῖκα παρθένον, ἀλλὰ καὶ ἱερέιαν ἐξ ἱερέων, cùm tamen nulla lex hoc præcipiens extet. Virginem qvidem uxorem ducere debuit; ſed an ex Sa-

cer-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

cerdotum, vel reliqvorum Levitarum familia, ſive ex qvacunq; alia Tribu virginem duceret, perinde fuit: hoc tantùm præcipitur בתולה מעמיו יקח *virginem ex populis ſuis ſumat* Lev. XXI. 14. ubi per voc. plur. עמים cum ſuff. vav. tertiæ perſonæ, tribûs Iſraëliticas indicari apparet ex Ezech. XLIV. 22. qvô locô præſcribitur Sacerdoti virgo è *ſemine domus Iſraël.* Nec verò, qvæ præcipua erat ratio ἀμιξίας Tribuum, nempe ut ne confunderentur poſſeſſiones ſingulis Tribubus aſſignatæ Num. XXXVI. in Tribu Levi ullum locum habuit, cùm hæc nullam in diviſione terræ ſeparatam à reliqvis tribubus portionem acceperat, ſed, qvicqvid ſuburbanarum regionum poſſidebat, id inter omnes ferè tribus diſperſum habebat. An verò reliqvæ tribûs ità potuerint promiſcuis jungi connubiîs, eæ perſonæ maximè, qvæ non erant ἐπίκληροι aut certâ qvadam hæreditate paterna dotatæ, id incertum. Soli fortè Reges & Judices Magni Synedrii à communi lege excepti fuerint, cùm ex Rabbinis conſtet, eos cum tribu Levi affinitatem contraxiſſe, (Vid.

Mai-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Maimonid. in *tr. Sanhedrin c. 2. & Jad Hakkaſakah tr. de Regibus c. 1.*) & cur non etiam cum reliqvis tribubus? niſi, ob rationem jam allatam inter 2. Tribus *Juda* & Levi reciproca fuerit contrahendi libertas.

10. De proſelytis certè non ità incerta res eſt. Qvicqvid enim ſit de aliis juribus & privilegiis, qvibus inter Judæos uti frui ipſis permiſſum erat, qvoad religionis exercitia, vitamq; communem: nunqvam tamen ad clavum regiminis, nunqvam ad ſuprema Reipublicæ munera, nunqvam ad Pontificalem vel Senatoriam in Sanhedrin dignitatem jure adſpirare potuerunt. De Rege expreſſè dicitur, qvòd non debuerit eſſe alienigena, ſed ſecund. electionem DEI conſtitutus ex medio fratrum Iſraëlis Deut. XVII. 15. Hinc apud Majmonidem *tr. de Regibus* Judæi dicuntur אין מעמידין מלך מקהל גרים *non conſtituere Regem ex cœtu Proſelytorum.* Non autem opus eſt ut ſtatuamus, penes ſolam tribum Juda jus regni ſemper fuiſſe, qvod voluit R. Bechajus *in Leg. Sect.* ויחי fol. 59. dicens ideo infelix & inſtabile fuiſſe

Re-

Regnum Saulis & aliorum, qvi non erant de tribu Juda, qvia regnârunt ſine jure regni. Reclamat enim tota hiſtoria, qvæ memorat electione divina regnâſſe Saulem ex Tribu Benjamin 1 Sam. IX. 1. & ante eum Præfectos ex aliis Tribubus, qvàm Juda, jure divinæ voluntatis Iſraëlitis præfuiſſe. Cæterùm ex vaticinio Jacobi colligimus, non qvòd proprium jure aliqvo peculiari Tribui Judæ, ſed qvòd providentia divina futurum eſſet, ſemper ut ex tribu iſta Reges aut Principes cum ſumma poteſtate præeſſent Judæis, ex qvo primùm Rex ex iſta Tribu eſſe cœpit, usq; ad adventum Schilò. Ut non reſponſione dignemur Bechajum, qvi miſerrimæ ſuæ hypotheſi δȣλεύων, ait, *Scripturam* Geneſ. XLIX. *ſignificare, qvòd Regnum penes Judam futurum eſſet usq; ad tempus Moſis.* Neqve enim *Schilo* Moſes fuit, qvod antea oſtendimus: neq; qvisqvam poſt vaticiniũ Jacobi Ebræis præfuit cum ſceptro, i. e. titulo, poteſtate & inſignibus Regiis ante Moſen, qvod per ſe clarum eſt. An verò & qvomodo Aſamonæi, qvi poſt captivitatem ſolutam populo

pulo imperabant, ex tribu Juda eſſent; jam jam expendemus. De Regia dignitate diximus: addamus pauca de Senatoria Synedrii magni. Ajunt qvidem Talmudici tr. Sanhed. c. 11. זכו בני בניו של יתרו וישבו בלשכת גזית *Meruiſſe poſteros Jethronis, ut ſederent in conclavi cæſi lapidis* i. e. in Synedrio: atqvi illi erant Midianitæ, proſelyti. Id qva fide dictum ſit, viderint Talmudiſtæ ipſi, nos non ità ſimpliciter credimus. Legimus enim conſtitiſſe hoc Concilium Magnum ex LXX. Senioribus Iſraëlis Ex. XXIV. 9. Num. XI. 16. 24. Hi lecti erant ex ſingulis Tribubus, æqvalem penè numerum, nempe Sex eminentiũ Virorũ, ſuppeditantibus; vel LXXII. unde Aſſeſſores LXX., (additis binis per ſchedulas ſeparatis *Sanhedr. c. I. fol.* 17.) qvi dicti ἄρχοντες & πρεσβύτεροι in Nov. Teſt. paſſim, & ipſum Concilium γερουσία τῶν υἱῶν Ισραὴλ Act. V. 21. Vid. Seldeni *de Synedriis c. XIV. p.* 560. *ſeqq.* Neq; enim neceſſum putamus, è ſola domo David lectos Synedrii Conſiliarios exiſtimare cum Baronio in Annalibus, qvem caſtigatum vide à Caſaubono

Exer-

Exer.IX.n.5. qvanqvam poſtremis ætatibus veriſimile ſit è ſolis Sacerdotib9 & Levitis conſtitiſſe id concilium;ex eorum verò numero ſi non invenirentur qvalitatib9 ad id munus reqviſitis Senes, qvi definitum numerum ſupplerent, tum demum aliis Iſraëlitis aditum in Synedrium patuiſſe, nullâ tribûs habita ratione: qvod ex Majmonide probare conatur idem ſummus Caſaubonus, ejusq; cauſam enarrat Abarbanel in *Leg.fol.*366.*col.*2. Nos tamen nihil hæc res juvat aut offendit; qvi hoc ſaltem negamus, nunqvam ex jure & inſtitutione Majorum, pacatîs Reipubl. temporibûs, ad eam dignitatem admiſſos fuiſſe Proſelytos. Qvomodo verò hoc Concilium, per מחוקק in vaticinio Jacobæo indicatum, fuerit בין רגלי יהודה *inter pedes Jehudæ*, jam antea *Sect.I.§.*7.8.9. enarravimus. Ex iis verò, qvæ hactenus dicta ſunt, concludimus adverſûs diſſentientes, Herodem non potuiſſe dici, nec fuiſſe verum Judæum, ſed alienigenam, proſelytum, qvem vel ſola naſcendi ſors à Regia in Judæos poteſtate excluſerat. Si enim propriè fuiſſet Judæus, qva de cau-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

ſa libros omnes Genealogicos incendere opus habuiſſet ? qvid ità exardeſcere ad illud Deut. XVII. prælectum : *ex medio fratrum tuorum pones Regem ſuper Te,* ut occiderit omnes Magiſtros, reſervato Babâ fil· Buthæ, &c. ut narratur in *Talmude tr. Baba Bathra.* Negat tamen vel in dubium vocat Altingius in *Schil. l. IV. c. 2. p.* 212. tabularum Genealogicarum exuſtionem, qvaſi absq; iis deſcriptio Qviriniana Luc. II. 1. juxta genus ſingulorum non potuiſſet fieri. Sed commodùm ei reſpondit Noldius noſter, ad hoc *potuiſſe ſufficere ſingulorum profeſſionem ; atq; adeò* ἀπογραφὴν *æqvè peragi in Judæa ſine accuratis Genealogiis potuiſſe, ac fuit peracta in Populo Romano, cujus cenſus ter actus, Sveton. in Auguſt. c. 7. ac in Italia, Dio Hiſt. Rom. l. LII. LIII. LV. LVI. Syria, Joſeph. Antiq. l. XVII. c. 15. imò ſuper totum orbem Luc. II. 1.* Vid. *Hiſt. Idum.* p. 339. Demum & hoc maximè urget τοὺς ἐξ ἐναντίας, qvod miramur Viros tam abundè doctos non advertiſſe, qvòd, cùm ab iisdem Judæis ſceptrum auferendum erat, è qvorum tribu naſciturus

Chri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Chriſtus, in tantum excludi debeant ab hoc nomine non tam hujus tribus συμπολῖται & populares, Benjaminitæ ac Levitæ, qvàm multò magis reliqvæ tribus, maximè verò proſelyti Idumæi, qvi aliàs conſortes Judæorum ut Religionis & Juris privati, ità & nominis ac appellationis fuerunt. Et proinde, qvicqvid Herodes fortè alio reſpectu non fuerit alienigena & alienus à Judæus, at ſaltem, qvoad hujus vaticinii Patriarchalis ſenſum atq; πλήρωμα, pro ἀλλοφύλῳ cenſendus erit. In eo enim vaticinio per *Jehudam* non poteſt omnino intelligi, niſi ſola iſta Tribus à reliqvis diſtincta, vel qvalis fuit poſtea per Tribus *Benjamin & Levi* aucta: diſtinctè qvippe proponuntur ſingularum fata Tribuum, ut non liceat ſub una cæteras comprehendere. Hactenus igitur immota ſtat noſtra ſententia adv. Scaligerum, Caſaubonum, Scultetum, imò Torniellum Pontificium, qvi in Annalibus ſuis ſacris, *ad A.* 4018. longiùs adhuc progreditur, & Herodem ne qvidem ortu Idumæum, ſed naturâ Judæum fuiſſe fidenter nimis aſſerit. Ut neq; ſine cauſa Nic. Serarius, neq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Montacutius in *Appar. V. n.* 32. Scaligerum propter hunc errorem, licèt uterq; nimis acerbè & immoderatè, inſectentur.

11. Reſtat altera Caſauboni nobis adverſantis ratio, cujus ſumma, ut diximus, hæc eſt: Qvòd, cùm Pompejus jam ante Herodem ità afflixerat Rempublicam Judæor. ut Aſamonæi, penes qvos adhuc tum ſceptrum erat, de gradu dejecti fuerint; non dici poſſit, Herodem πρῶτον τῶν ἀλλοφύλων *ſceptrum*, à Juda ablatum, uſurpaſſe. Sed reſpondemus: concedendô qvidem, Pompejum aliqvot ante Herodis regnum annos ſtatum Reipublicæ Judææ turbâſſe variè; ſed negandô, ità planè ablatam populo Majeſtatem omnem & jura regiminis, qvin remanſerint, ſaltem ex conſvetudine Populi Romani, ſupremi tribunalis & αὐτονομίας jura intacta, & Pontificatus ſummus in Hyrcano. Attendendum autem, in oraculo Jacobi non ſimpliciter dici de *ſceptro*, ſed & de *Legiſlatore*, ut conjuncta intelligerentur, nec ante prophetia completa videretur, qvàm in utriusq; & Μοναρχίας & αὐτονομίας occaſu

ſu tota Reipublicæ ſpecies deperiiſſet. Qvamdiu itaq; ulla remanſere jura & ἀξιώματι Majeſtatis, tamdiu penitus ablatum illud ſceptrum non fuit: qvia ſceptri illa ſigna ſunt & effecta, & Majeſtas eſt τὸ κύριον τῆς πόλεως, ejusq́; eſſentialis forma & inſeparabilis character, ipſaq́; adeò natura & anima Regiminis, ſive ea ab uno, ſive pluribus, ex jure abſoluto vel ex conſenſu populi, exerceatur. Sed hic nacti ſumus campum ſpatioſum, in qvem longiùs excurrere juvabit, ut oſtendatur, qvàm exacta ſemper fuerit Divina providentia in ſervandis promiſſis: cùm exinde patere poſſit, nullis, qvantumvis periculoſiſſimis, motibus & mutationibus ità concuſſam fuiſſe everſamq́; Judaicæ gentis Rempublicam, ut de ea actum penitus fuiſſe ante ẞ *Schiloh* adventum videatur.

12. Narravit de Alphonſo Magno Ant. Panormitanus *l. IV. de dictis & fact. Alph.* tantam fuiſſe ejus Principis autoritatem, *ut etiam victus conditiones dixerit, & victores victi metu ceſſerint.* Mirum hoc profectò; ſed magis hoc mirum: Judæ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

os, (gentem omnium penè nationum præjudiciis gravatam, &, ob ſtrictam Legum ſuarum, qvæ aliorum moribus populorum contrariæ erant, obſervantiam penè inviſam,) toties ſuperatos & *victos* ſuis *victoribus leges dediſſe*, ut B. Auguſtinus *L. VI. de Civ. D. c. II.* obſervavit ex libris Senecæ *de ſuperſtitione*; qvi cum inter alios celebratiſſimi iſtius Philoſophi tractatûs jam deperditi ſunt, operæ pretium erit, verba ejus ex Auguſtino integra deſcribere: *De illis ſanè Judæis cum loqveretur* Seneca, *ait*: cùm interim usq; eò ſceleratiſſimæ gentis conſvetudo invaluit, ut per omnes jam terras recepta ſit, victi victoribus leges dederunt: *Mirabatur hæc dicens, &, qvid divinitus ageretur, ignorans, &c.* Ut altiùs rem repetamus: qvæ cauſa fuit, qvòd in ipſa Captivitate Babylonica tantô eos favore & benevolentia proſecutus eſt Cyrus Eſr. I. & poſt captivitatem ſolutam, 250. penè annis, in Ægypto Ptolomæus Philadelphus, ut hic, licèt jure belli ſupremus eorum eſſet Dominus, libertati reſtituerit centum mille Judæos, à Patre ejus in captivitatem abductos

ctos, imò ſeipſum eorum Legibus ſubjecerit, qvas (divinâ ità ordinante providentiâ) in lingvam tunc notiſſimam transferri curavit, memorante Joſepho *Antiq.* lib. XII. c. 2. 3. XIV. 16. 17. XVI. 20. XIX. 4. 5. 6. 7. qvæ inqvam cauſa fuit, niſi qvòd nondum fatalis terminus Reipublicæ Judaicæ acceſſerat? Penè omnia myſteria ſuperat, qvòd, cùm Urbis Hieroſolymitanæ ejusq; mœnium, toties ab hoſtibus dirutorum, reparatio & Templi conſervatio victæ genti animos addere & opportunitatem nova adv. victores ſuos moliendô potuerint, ipſi tamen victores hunc rerum ſtatum in Judæa, ſua qvaſi nihil intereſſent, tam conniventibus oculis aſpexerint: licèt poſtmodum Artaxerxes decretum illud Cyri de reædificandis Hieroſolymis revocaverit, *ne creſceret ruina in damnum Regum* Eſr. IV. 17. Poſt id tempus muros qvidem urbis ſolo æqvaverant tum Ptolomæus Primꝰ, tùm Pompejus Magnꝰ, qvi tamen ante bellum Veſpaſiani reſtaurati ſunt. Et, cùm ſub Pompejo maximè afflictæ fuerint Judæorum res, ut vel ejus tempore potiùs priusq; qvàm Herodis

impoſitum ab alienigenis jugum genti Judææ autumet Caſaubonus; non difficile erit monſtrare, qvàm mite id ac tolerabile jugum fuerit devictæ genti; planè ut ſub eo non exſpirâſſe Majeſtatem Judaicam appareat. Refert Tullius *in Orat. pro Flacco, Pompejum, captîs Hieroſolymîs, victorem ex illo ſano nihil attigiſſe*, i.e. ut habet Joſephus *de bell. Jud. l. I. c. 5.* poſtqvam vidiſſet menſam auream, candelabrum & alia ejusdem metalli, cum ornamentis pretioſiſſimis & talentis bis mille ſacri theſauri, ne minimum tamen inde abſtuliſſe in prædam, aut ad ornanda Romanorum Idolorum fana. Eadem in orat. Tullius fatetur, *Judæorum nomine qvotannis ex Italia & ex omnibus Roman. provinciis aurum exportatum fuiſſe: Flaccum* verò deinde *ſanxiſſe edictô, ne ex Aſia exportari liceret.* Qvod, cùm Flacco crimini datum, qvaſi *auri invidiâ Judaici* factum, ipſe Tullius excuſat tanqvam *laudabile*, & per Senatus Conſultum, ſe ipſo Conſule, prohibitum. Abſtinentiam verò Pompeji non à *religione Judæorum hoſtium*, ſed à *pudore* profe-

ctam

ctam intimat. Sed qvæſo, mi Tulli, pudorem fateris, ſed ejus cauſam in victore, cui omne qvod libet licet, retices? Non retices verò, ſed poſt varias tergiverſationes penè invitus prodis: *Sua cuiq; religio*, ais, *noſtra nobis. Stantibus Hieroſolymis, pacatisq́ Judæis, tamen iſtorum religio ſacrorum à ſplendore hujus Imperii, gravitate nominis noſtri, majorū inſtitutis abhorrebat; nunc verò hoc magis, qvòd illa gens, qvid de Imperio noſtro ſentiret, oſtendit armis: qvàm chara eſſet Diis immortalibus, docuit, qvòd eſt victa, qvòd elocata, qvòd ſervata.* Sic eſt Cicero! Nondum ultimus dies ſacris & politiæ Judæorum advenerat, nondum maturuerat virga, qvæ ultimam pœnam incredulis minabatur; nondum abjecerat planè DEus populum ſuum: *qvamvis enim eos, propter iniqvitatem eorum, in manus gentium tradiderit, tamen multoties eripuit eos: &, cùm eſſent attenuati, reſpexit anguſtiam eorum, auditô clamore eorum. Et recordantem pro eis fœderis ſui pœnituit ipſum, pro amplitudine benignitatum ſuarum, adeò ut conciliaret ipſis mi-*

ſericordiam coram omnibus, qvi captivos detinebant eos. Pſ. CVI. 41. 42. *ſeqq.* Non poterat ſcilicet ad incitas redigi à tot hoſtibus illa natio, anteqvam prioribus peccatis graviſſimū addidiſſent, contemptum Meſſiæ ejusq́; cædem; cujus innocenter effuſus ſangvis, licèt toti orbi ſalutaris, ipſis pœnitere neſciis & conſilio Divino reluctantibus, ſupremam perniciem & irreparabilem ſtatus ac politiæ Judaicæ ruinam poſt ſe attraxit.

13. Verùm, ut clarius adhuc fiat, qvòd, ante Meſſiæ adventum, nondum ſub Romanorum imperio ſuprema Judæam fata conculcâſſent; obſervandum nobis eſt, qvomodo non ſolùm ex arcana Divini Numinis ordinatione devictæ genti, à ſuperbiſſimis mortalium Victoribus, jura tam ſacra qvàm profana illibata maximam partem remanſére, ſed etiam, qvàm graviter puniti à DEo fuêre, qvotqvot ex victoribus vel ſacrilegas manꝰ inferre Templo, vel aliter jure armorum abuti ad contemtum injuriamq́; gentis auſerint. In ipſo certè Pompejo non obſcurum hujus rei documentum exſtat. Qvis enim neſcit,

niſi

niſi qvi hoſpes eſt in Hiſtoria, qvàm fauſtîs eum ſucceſſibûs per omnes expeditiones fortuna beavit? ſive mari præliabatur, conjurati veniebant ad claſſica venti, vid. de Expeditione Afric. & bello piratico Tullium *de lege Manil.* ſive terrâ dimicaret, Luna ipſi ſtellæq; favebant, *Et luna in partibus; qvippe qvaſi commilitans, cùm à tergo hoſtibus, à facie Romanis ſe præbuiſſet, Pontici per errorem longiùs cadentes umbras ſuas, qvaſi hoſtium corpora, petebant*; ſunt verba Flori *de geſtis Rom. l. 3. c. 5. in Bello Mitridatico.* Sic illum Magnum Pompejum plenîs velîs comitabatur Felicitas, ut, *poſt tres Conſulatus, & totidem Triumphos, domitumq́ terrarum orbem, ſanctiſſimus Vir in id evectus fuerit, ſuper qvod aſcendi non potuit*, ut ſcribit Vell. Paterculus *Hiſt. l. 2.* Ultimus demum ipſi triumphus de Judæa actus, atq; hic tandem tot & tantorum meta laborum fuit. Poſtqvam enim in expugnatione ſanctæ Urbis ultimò ipſi arriſiſſet Fortuna, ab eo tempore obſervatum fuit, in tantum *in illo Viro* eam *à ſe diſcordâſſe, ut, cui modò ad victoriam terra*

terra defuerat, deeſſet ad Sepulturam. Sic idem Paterculus l. cit. Mirati qvidem fuerunt Gentiles, qvî tam carum (ut tunc creditum fuit) Diis immortalibus caput, tamq́; ſubitò omnia conſilia & conatus in deterius egerint, ut, qvi antea cautè & circumſpectè res ſuas, non minùs qvàm publicas, adminiſtraverat, mox, inclinante paululum fortuna, tam planè mutatus à ſe ipſo fuerit, & neq; conſiliis amicorum, qvos habuit plurimos, neq; ſua dexteritate, ut ſolebat ante, caſum ſuum antevertere cogitaverit, ſed magis fugæ Brunduſianæ, qvæ ſola nocere potuit, & incertæ aleæ unius apud Dyrrhachium pugnæ ſe ſuaq́; omnia tam inconſideratè commiſerit. In ea autem pugna cum victus eſſet ab æmulo Cæſare, licèt non omnis ſtatim ſpes ipſi decollâſſet, manentibus in officio tùm fœderatorū Regum plurimis, tùm potiſſima exercitus parte; tam parum tamen ille (Agamemnon nuper ob potentiam & fortitudinem invictam dictus) de recuperando gradu ſuaq́; ſalute ſolicitus fuit, ut, velut malè ſibi conſcius, & ſecretis furiis agi-

agitatus, ad Ægyptum fugerit: ubi *in Peluſio littore, imperio viliſſimi Regis* (Ptolomæi,) *conſiliis Spadonum,* &, *ne qvid malis deeſſet, Septimii deſertoris ſui gladio trucidatus, ſub oculis uxoris ſuæ liberorumq; moreretur,* ut habet *Florus l. IV. c. 2.* Vid. & Dio *L. XLI.* de temeritate Pompeji diſſerens, item *Lib. XLII.* Usq; adeò Magnus ille Dux miſerandum finem habuit, ut vix ſepulturæ locum inveneri in arena fatalis littoris. Extat lugubre ejus epitaphium in Appiani *Lib. 2 de Bell. Civ.* Τῷ ναοῖς βρίθοντι πόση σπάνις ἔπλετο τύμβου i. e. *Vix caperet templum, qvem parva recondit arena.* Fruſtrà certè gentiles Deorum hîc ſuorum providentiam accuſant, ex vulgari de eo Principe hominum opinione, qvaſi malè à Diis habitus fuerit, qvos nunqvam læſerat; ut dixerit eorum aliqvis:

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo;
Pompejus nullo: qvis putet eſſe DEOS?

Nulla enim tam ſubiti caſus alia cauſa fuiſſe videtur, qvàm unius omnipotentis

DEI

DEI vindicta, qvæ cùm evertere Pompejũ ſemel ſtatuerat, ne ipſa qvidem Victoria Victorem eum aut ſalvũ præſtare potuit. Non deſunt qvidem inter Ethnicos, qvi divinitus hoc malum ei contigiſſe putârunt: & Appianus l.c. eum fuiſſe θεοβλαβῆ ſcribit, i. e. *Divinitus ipſi mentem & ſpem omnem corruptam fuiſſe*. Sed cauſam non rimari potuerunt, qvi *incerti Judæam DEI* crediderunt. Nobis autem nihil certius eſt, qvàm pœnam eam fuiſſe contemptûs ſacrorum Judaicorum; qvem vindicare DEus ipſe voluit, nondum tum per Meſſiæ adventum iîs, licèt ceremonialibus, de gradu ſuo dejectîs. Dupliciter enim offenderat Pompejus, (1.) turbandô Judæorum Sabbatum, eoq; ad expugnandum Templum. dum ſacræ qvieti indulgebant Judæi, abutendô, ut memorat Dio *Hiſt. Rom. lib. XXXVII.* ſed hoc parum fuiſſet, niſi & (2.) expugnatô templô, ut inſanam & toties in aliis damnatam curioſitatem expleret, in ſanctiſſima ejus adyta, qvæ nemini niſi ſoli Pontifici ſummo, idq; ſemel tantùm qvotannis, calcanda, ſe intruſiſſet jure victoriæ, ut loqvitur Tacitus

lib.

lib.V.Hiſtor. additq; *inde vulgatum, nulla intus DEum effigie, & vacuam ſedem, & inania arcana.* Florus lib.3.c.5. memorat, eum *vidiſſe illud grande impiæ gentis arcanum patens, ſub aureo vitem cœlo.* Sive eam vitem illic Pompejus reperit, ſicut Autor hîc ait, ſive ab Ariſtobulo oblatam recepit, ut Joſephus *l. XIV. c.5.9.* narrat. Qvæ ejus vitis forma, qvis uſus fuerit, noſtrum non eſt inqvirere: creditum fortè ex eo tempore Romanis, qvibus incognitum, qvem colerent DEum Judæi, in divina apud hos veneratione Bacchum fuiſſe. Sic Plutarchus *de ſuperſtitione*, licèt ejus cultum ex Feſto Tabernaculorum, inter palmites hederasq; à Judæis celebrato, monſtrare conetur. Sed ad rem. Hæc illa erat tam gravis culpa, qvam non minùs in Pompejo, qvàm in ſua gente, punire offenſū Numen voluit, cujusq; pœnæ triſtia fuerant jam olim exempla Uzzah & Uziah Judæ Rex, qvi ob uſurpatum nefariè Summi Sacerdotis officium percuſſi leguntur à DEO, ille ſubita morte, hic leprô ad diem vitæ ultimum. Hoc ſaltem diſcrimen: qvòd Pompejus, qvia ſanctiſ-

ſimam

ſimam Templi partem ſacrilega mente qvidem, ſed non manu violaverat, longiùs habuerit pœnitendi tempus, qvàm vel Uzza Judæus, vel alter ille Romanus Heros, Pompejo potentiâ proximus, Craſſus ſc., qvem ob ſimile, licèt majus ſacrilegium, æqvè miſerandâ, ſed magis repentina ſtrage ultus fuerat Omnipotens.

14. Hîc enim, ut breviter omnia repræſentemus, poſtqvam, eodem furore & contemptu Numinis Judaici percitus, non tantùm oculîs Templum Hieroſolymitanum violâſſet, ſed & ſacrilegîs manibûs pretioſa ejus vaſa ac ornamenta contrectâſſet, (narrat enim Joſephus, eum, non contentum *aurea trabe*, qvam ei Eleazarus Pontifex *pro redemptione omnium obtulerat, mox, violatô jurejurandô, totum, qvantum intus erat, egeſſiſſe*; qvorum pretium ad 2000. Talentorum, qvæ Pompejus intacta reliqverat, & præterea 8000. aſcendebat, *Antiqvit. lib. XIV. c.* 12.) mox per Divinam Nemeſin omni conſiliô ac fortunâ deſtitutus, & in Bello Parthico, Augari Oſroëni aſtu in caſſes hoſtium pulſus, cum totius ſtrage exercitus, ipſe miſeranda

randa morte pœnam ſacrilegii dedit. De qvo vid. Plutarchus *in Craſſo*, Dio *l. XL.* Appianus *de Bell. Parth. Siniſtris* qvidem Craſſi *fatis* hæc aſcripta à Romanis, & qvidem ob violata ſacra DEæ cujusdam Hierapolitanæ ſ. Edeſſenæ (qvam Ἀφροδίτην Plutarchus, Ἀταργάτιν Strabo, i. e. *Dirceto* ſ. Venerem nuncupant;) vid. Plutarch. *in Craſſo*. Sed errat ille Scriptor, ſive profanô hujus Idoli amore, ſive ignorantiâ commiſiæ Hieroſolymis ἱεροσυλίας. Nam &, anteqvam Euphraten Craſſus tranſierat, aut limina Fani iſtius Hierapolitani ſalutâſſet, fatalia Craſſo omina inſtantis mali obtigerant, ut idem refert Plutarchus; &, ſi legiſſet Hiſtoriam Maccabæorum Lib. II. c. III. ubi, qvàm graviter DEus ultus eſt Heljodorum ſacrum ærarium expilare volentem, memoratur, non dubitâſſet infortunium Craſſi θεήλατον fuiſſe, & pœnam ſacrilegii Hieroſolymis commiſſi. Ità autem Gentiles, reverentiæ ſacris Judaicis debitæ ignari & ſuis dediti ſuperſtitionibus, qvas pœnas ob ſacra veri DEI profanata dederunt nonnulli Principes Ethnici, ad ſuorum fictitiorum

Deorum contemptum vindicandum inflictas opinati ſunt. In Plutarcho autem qvis hanc culpam mirari poteſt? cùm ante Plutarchum Polybius, at qvantus Scriptor, (ejus laudes vid. apud Caſaubonum in *Præfat. Edit. Polyb.* ipſumq; Plutarchum *in Bruto*) non leviorem commiſit ἀνιστορησίαν, dum ſubitam & horrendam mortem Antiochi Epiphanis violato DEæ Artemidos Templo imputat; qvam tamen ille ſibi à DEO ultore, ob jam ante conſpurcatum Hieroſolymitanum templum, conciverat. De qvo Joſephus *Antiq. l. XII. c.* 13. Sic autem citiùs ociùs ſtultitia punietur omnium, qvotqvot aut DEum ſuo honore, aut ſacra Divina ſuo decore ſpoliant. Et ſic, anteqvam venerat Schilo promiſſus, novi fœderis Mediator, perierunt omnes ferè, qvi Sioni mala intentârunt. Nondum enim præſtituta viſitationi Hieroſolymitanæ hora illuxerat, nondum eam gentem viſitaverat *oriens ex alto*, nondum apparuerat Templi ſecundi gloria. Cui poſtmodum cùm majorem eadem gens obtuliſſet ignominiam, qvàm Romani, & ſceptrum Judaicum

fran-

frangi, & pax ac politia gentis everti cœpit: ex qvo tempore ità Fati in eam incubuit gravitas, ut nunqvam reſurgere datum. Tunc enim ſimul & propriæ & avitæ iniqvitatis onus, & triſte captivitatis jugum ità totam Judæ poſteritatem carnalem preſſit, nunqvam ut reſtitutionem in priſtinas ſedes, vel vindictam de oppreſſoribus ſuis ſperare poſſit. Sed neq; in Pompeji, neq; in Craſſi diebus hæc gentis πανολεθρία exſpectari potuit, qvamdiu ſecundùm prophetias exſpectari debuit Meſſias.

15. Penè autem omiſeramus, qvod maximi eſt momenti, & qvod ipſe Caſaubonus adv. Baronium mordicùs defendit, *Exerc. I. §. 6.* Judæam non fuiſſe in Provinciæ formam à Pompejo redactam, licèt ab eò ſubactam & vectigalem factam. Et, qvamvis ex eo tempore Præſides Syriæ extiterint Romanorum nomine Scaurus, Gabinius & Craſſus, nunqvam tamen illi unà cum Syria Judæam adminiſtrârunt: ſed hanc Hyrcanus Romanorum conceſſione regebat regia cum poteſtate, etſi absq; honore nominis. De Scauro certè qvod

ait Joſephus *de Bello Jud.* l. I. c. 5. traditam ei fuiſſe à Pompejo Syriam ſimul & Judæam, ἐις τὸ διέπειν, ut illas regeret; id non aliter intelligendum, qvàm qvòd Scaurus, cùm Syriæ provinciæ impoſitus eſſet, Judæas ſimul res extra ordinem curaret, qvas, poſtqvam turbari cæperant, componi Romanorum intererat. Putat itaq; Vir doctiſſimus, *Judæam propriè dictam circa ann. Domini* 10. *in formulam provinciæ primùm fuiſſe redactam, pulſô in exilium Archelao*; adducitq́; fidem Joſephi *libro extr.* 17. & *init. ſeq.* imò ἀνιστορησίας & incuriæ arguit Ammian. Marcellinum, Aur. Victorem & Eutropium Pæaniumq́; qvòd ille *lib.* 14. iſte *in Veſpaſiano*, dixerint Judæam in Provinciæ formam à Pompejo, devictis Parthis, redactam eſſe: hi verò id demum ſub Veſpaſiano factum ſcribant. Noſtrum non erit hîc inqvirere, qvando præcisè Provinciæ Romanæ formam ſuſcepit Judæa. Damus id contigiſſe circa Ann. Domini 10. pulſô Archelaô. At tamen non inde ſeqvitur, non extinctam fuiſſe, Herode regnante, Regum ac Principum Judæorum

rum ſucceſſionem. Illum enim fuiſſe alienigenam jam ſupra probavimus. Sed hoc tantùm ſeqvitur, non ità a Pompejo concuſſam fuiſſe Judæorum Remp., ut penitus & omnem αὐτονομίαν, & omnem poteſtatem regendi Principes Aſamonæi, Judæis propriô qvodam modô accenſiti, per eum amiſerint. Itaq; adv. illud, qvod antea dixerat Caſaubonus, per Pompejum libertatem Judæis ereptam, nunc ex ipſis Caſauboni verbis loc. prox. cit. ſic argumentamur: *Olim, qvi Romano Imperio parebant, ut doctè explicat Strabo extremo opere, vel proprios Reges habebant, aut Pontifices Regia poteſtate, aut proprios Magiſtratus, & dicebantur liberæ civitates; vel Româ miſſos Præſides accipiebant, præſertim qvæ regiones redactæ in Provinciæ formulam fuerunt.* Sed jam de Judæis poſterius non admittit Caſaubonus ipſe. Ergo prius admittendum, atq; ſic libera civitas erat Judæa. Itaq; nondum ſceptrum penitus amiſſum erat, regnantibus Aſamonæis. Id qvod adverſus nonnullos neceſſariò fuit demonſtrandum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

SECTIO IV.

Argumentum.

QVanta ſit neceſſitas credendi per Herodem M. ablatum à Judæis ſceptrum? Status Reip. Jud. ſub Templo ſecundo. De Aſamonæis eorumq; origine & nomenclatura. De Macchabæis item. Apud hos ſumma Reip. usq; ad Herodem, licèt diverſis titulis. Qvomodo Aſamonæi Principes fuerunt Judæi? Levitæ & Benjaminitæ ad Tribum Juda cur referuntur? Cur non item reliqvi Iſraëlitæ? Ad characterem adventus Meſſiæ non tantùm ſceptri, ſed & Legislatoris ablatio ſpectat. Duo Judiciorum genera inter Judæos. Synedrium variè labefactatum; 1. Cæde Aſſeſſorum legitimorum, 2. Crebris migrationibus, 3. Jacturâ capitalium judiciorum. Qvòd, patiente Chriſto,

Judæi

Judæi αὐτονομίαν *ſuam amiſerant, ipſis fatentibus Joh. XVIII. 31. Pilati ironia. Refelluntur, qvi putant propter feſtum non licuiſſe Judæis occidere. An jus capitale reliqvum fuerit Judæis Joh. VIII? De jure Zelotarum. An Synedrium jus capitale habuerit Act. V. 33? an jura non capitalia ſive* דיני ממונות? *De cæde Stephani Act. VII. 58. 59. Speculum furoris Zelotarum. De cœde Jacobi Minoris. Judæos ſemper recalcitrâſſe Romanis; non ſemper hoc iis impune fuiſſe. An ullibi terrarum Judæi ſuis legibus vivant? An in provincia Bagdad? Benjamin Tudelenſis Fabulator: Ejus* ἀνιστορησία. *Teſtimonia Rabbinorum majori fide dignorum. Qvô modô inter Turcas Judæi habeantur? De Herodianis N. T. an Herodem pro Meſſia habuerint? Dubitatio Caſauboni expenditur. Erant potiùs Herodis*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

rodis domeſtici, adulatores, exactores. Pædagogia bonorum temporalium ad ſpiritualia & æterna. Finis Regni terreſtris Judaici, initium Regni ſpiritualis Meſſiæ. Concluſio; & parænesis ad excipiendum Meſſiam ſecundò adventurum.

1. Qvæ hactenus de ſtatu Judæorum ante Herodis Regnum diſſeruimus, præmitti oportuit ob contradictiones Scaligeri & Caſauboni aliorumq;, qvi complementum vaticinii Jacobæi, de ablatione Sceptri à Juda, in Herodis alienigenæ Regno agnoſcere noluerunt, ſatiusq; duxerunt, Patres longè plurimos præſtantiſſimosq;, qvos ſibi hîc contrarios invenîunt, de ponte dejicere, ut qveſtus eſt de Scaligero acutiſſimus Montacutius *Appar. V. num.* 32. Nobis eqvidem tanti hæc res eſt momenti, ut, niſi in Herode terminus ſceptri Judaici admittatur, nihil de adventu Meſſiæ iſta in prophetia prædictũ appareat. Tunc enim hîc venturus erat, qvando illud jam à Tribu *Judah* receſſiſſet.

ſet.

ſet. Seqvitur ergo, qvia venit Meſſias, regnante in Judæa Herode, ideo non in alio qværendum antiqviſſimi oraculi complementum. Neq; enim aliam ob cauſam, in conſignando tempore Nativitatis Chriſti, tam expreſſè mentio facta eſt *Herodis Regis* apud Evangeliſtas Matth. II. 1. Luc. I. 5. qvàm ut harmonia rei geſtæ cum iis, qvæ olim prædicta erant, tantò evidentior eluceret. Vidimus itaq; hactenus complementi hujus τὸ ὅτι, i.e. *qvòd* in adventu Meſſiæ, poſt everſionem regni Judaici, adeptô ſceptrum Herode ἀλλοφύλῳ, conſiſtat: reſtat verò exponendum τὸ πῶς, i. e. qvomodo & lapſum è manibus Aſamonæorum ſceptrum, & ab Herode ejusq; poſteritate ad certum tempus fuerit uſurpatum. Nec hoc tamen nobis bene ſuccedet, niſi, qvæ facies fuerit Reipublicæ Judaicæ proximè ante Herodem, paucis antè declaraverimus. Poſt Templi urbisq; reſtaurationem penes Pontifices, nullô Regis Ducisq; titulô, ſummum imperium fuerat. Hi, cùm aliqvo tempore i.e. ab anno m. 3617. usq; ad 3783. ſupra ſesqviſeculum, inter ſe mutuâ

atq; indecorâ æmulatione de imperio, honoribus, gloria certâſſent, & divina ac humana ſusq; deq; habuiſſent, eorumq; tandem ultimus Onias, æmulum Jaſonem metuens, in gratiam Antiochi Epiphanis, qvô tum defenſore indigebat, leges Moſaicas ejurâſſet, anſamq; dediſſet Antiocho omnia Judæorum pervertendi: DEus ecce ἀπὸ μηχανῆς ſuſcitavit *Matthatiam* Sacerdotem ex vico *Jojarib*, qvi, divinîs & penè ſtupendîs adjutus auxiliîs, Judæos in libertatem religionis Legumq; ſuarum ſtrenuè aſſeruit, & Rempublicam Principis nomine gubernavit. Primus ille, Aſamonæus dictus, id cognomen in poſteros transmiſit. De qvo, unde ſit & qvid ſignificet, non convenit inter Doctos. Autor *lib. Juchaſin* fol. 14. memorat, hunc primò Matthatiam cognominatũ Aſamonæũ, ſed de nominis origine tacet. Sunt qvi patronymicum exiſtimant, à *Simone* hujus avo 1 Mac. II. 1. qvaſi, præfixô He hajediah ſ. emphatico, idem ſit, qvod השמעוני *ille Simonides*: ſed ſic potiùs diceretur Haſſimonæus. Alii patrium cognomen faciunt, præeunte Joſepho *Bell. Jud. l. II. c. 23.* qvi Matthatiam

tiam ita dictum refert à monte Galilææ ἀσαμὼν, in *Tribu Simeon*; & hæc etymologia ad formam cognominis propiùs accedit. Sed qvid Matthatiæ cum iſto monte,ut inde cognomen duceret? Qvamobrem ego potiùs nomen *dignitatis* exiſtimaverim, ad imitationem vocis חשמנים Pſ. LXVIII. 32. iſto ſenſu poſitæ; יאתיו חשמנים ממצרים: ubi pleriq; Interpretes reddunt, *venient Magnates*, Principes, LXX. πρέσβεις *ex Ægypto*, Syrus ܐܝܙܓܕ̈ܐ *principes* vel *nuncii*, Arabs الرسل *Legati* vel *Apoſtoli*. Rabbini communiter (excepto R. Salomone) *Principes*. Imò Ab. Ezra ad Aſamonæos השמונאים Maccabæos alludit,& ὁμόνυμον adducit vocab. סגנים *principes*. Sic & R. David ad h. vocem memorat, Matthatiam fil. Johannis vocari Haſamonæum,& Filios ejus omnes ſimiliter *Haſamonæos*. Qvod cùm ità ſit,qvis Matthatiam ob ſingularem & plane heroicam virtutem, imò ob Principatum,reſtitutîs Judæorum rebûs, ſibi vindicatum ſic appellari dubitabit? Qvanqvam id nomen non ſolum iſti familiæ manſit. Filius enim Matthatiæ Judas, qvi in prin-

cipa-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

cipatu iſto ſucceſſit, & tandem poſt mortem ultimi Pontificis Alcimi nefarii hominis, ex votis populi, primus ſummum Sacerdotium unà cum principatu geſſit, Macchabæi nomen habuit; ut poſt eum longa ſerie ſucceſſores tum Haſſamonæi tum qvoq; Macchabæi nominentur. De eo qvoq; cognomine non una inter Scriptores opinio eſt. Iſidorus Peluſiota notatur à Scaligero *ad num. Evſeb.* 1853, qvòd Maccabæum idem eſſe velit ac *Dominum*. Alii à literis qvibusdam vexillo hujus Judæ inſcriptis deducunt, ut Junius, & Fullerus *Miſcell. S. l. II. c.* 13. Qvæ ſententia placuiſſe videtur Druſio *Obſervat. lib. XI. c.* 14. & Jac. Capello, qvi *Hiſt. S. & Exot. ad A.M.* 3833. dicit elogium ejus fuiſſe, מי כמוך באלהים יהוה i.e. *qvis ſimilis tibi inter DEos Domine*? ex qvarum 4. vocum literis initialibus per Raſche Teboth exſurgere putat nomen מכבי Maccabæi. Nos, qvid hîc veriùs dicatur, divinari in tam obſcura re haudqvaqvam poſſumus. Cæterùm Ariſtobulus tandem ex eadem ſtirpe, poſitô Principis nomine, Regium aſſumpſit. Et ſic

poſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

poſt Zedechiam exſtinctum Reges iterum Judæa habuit, licèt Levitas, qvorum ultimus Antigonus Herodis ambitioni victima cecidit. Cernimus itaq; apud Aſamonæos usq; ad Herodem, continua ſucceſſione, ſummam rerum ſtetiſſe: nec qvicqvam intereſt, an Pontificum, Principum aut Regum nomine Majeſtatem gentis in ſe habuerint. Certè nimis inepti ſunt, qvi hîc in arctum deſiliunt, & non pertinere Majeſtatis nomen, niſi ad Reges, autumant. Qvocunq; enim nomine veniant ii, apud qvos eſt *ſumma civilis poteſtas, cujus actus alterius juri non ſubſunt, ità ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti poſſint reddi*, (ſic Majeſtatem optimè definivit Grotius de *J. B. & P. l. I. III. §. 7.*) in illis ſumma Majeſtas reſidet, cujus ſymbolum & inſigne eſt *ſceptrum*. Hinc memoriæ proditum eſt, eo tempore, cùm populum Judaicum Principes & Optimates ſimul regerent, in medio Magni Concilii, qvod Sanhedrin vocant, Sceptrum pependiſſe: vid. Cunæi *de Rep. Ebr. l. I. c.* 9. Qvam rem qvis non videt ſignum fuiſſe illius Majeſtatis, qvam

Græ-

Græci τὸ κῦρος τῆς πόλεως, τὴν πρώτην ἀρχὴν, τὸ αὐτεξούσιον, τὴν τῶν ὅλων ἐξουσίαν, αὐτοκρατορίαν, ἐξουσίαν αὐτοτελῆ, Romani verò *rerum ſummam, Imperium, vim Imperii, ſummam poteſtatem*, *&c.* appellarunt. Nomen eqvidem rem non variat. Cur autem Pontifices nonnulli dici maluerunt, qvàm Reges aut Principes, rationem reddit Philo *in Leg. ad Caj. p.* 797. τὴν βασιλείαν, ait, τῆς ἱερωσύνης ἐν δευτέρᾳ τάξει τεθέμενοι, καὶ νομίζοντες, ὅσῳ Θεὸς ἀνθρώπων διαφέρει, κατὰ τὸ κρεῖττον, τοσούτῳ καὶ βασιλείας τὴν Ἀρχιερωσύνην. Sed hæc, meô judiciô, redolent Sacerdotalem arrogantiam, cui nulla litera Scripturæ favet. Acqvieſco Dioni Caſſio tradenti, Judæos τὴν βασιλείαν σφῶν, τὴν τοῦ Θεοῦ σφετέρου ἱερωσύνην ὀνομάζεσθαι, *appellâſſe Regnum DEI ſui Sacerdotium, Hiſt. Rom. Lib. XXXVII. p. m.* 40. Qvod nec ignotum aliis gentibus:

> - - *Idem hominum ſummus Phœbiq; Sacerdos.*

2. Sed objicietur hîc nobis: qvid hæc ad tribum Juda, in qva ſceptrum duraturum ad tempora Meſſiæ prædicitur? Annon Levitæ fuerunt iſti Aſamonæi? Concedi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

cedimus Levitas fuiſſe. Hinc infert R. Bechaj. *in Leg. ſect.* ויחי *fol.* 59. לא נתנה המלכות כי אם לשבט יהודה *Non datum eſt Regnum niſi tribui Juda*; & paulò pòſt: שלא היו החשמנאים מזרע המלוכה *qvòd non fuerint Aſamonæi ſtirpis Regiæ.* Objiciunt alii ex Philone *l.* 2. *de Monarch.* p. 639. Pontifices non potuiſſe ducere niſi virginem Sacerdotalem, γυναῖκα παρθένον, & qvidem ἱέρειαν ἐξ ἱερέων in ſua tribu. Sed contrarium huic objecto monſtravimus *Sect. præced.* §. 9. ubi ſimul innuimus, matrimoniis coaluiſſe Tribus Juda & Levi. Ipſe Rabbinorum princeps Maimonides ita docuit *in Jad Hakkaſaka tr. de Regibus* c. I. לא מעמדין מלך אלא מן המשיאין *non conſtituunt Regem, niſi ex iis, qvi contrahere affinitatem poſſunt cum Sacerdotibus*, (ità enim ſine dubio intelligendum, non κατὰ τὸ ῥητὸν, *aſſumptos in Sacerdotium*; planum enim eſt, Sacerdotium Regibus non fuiſſe licitum: vid. Nold. *Hiſt. Idum p.* 163.) Et certè, ſi Proſelyto conceſſum adſpirare ad Regnum, modò matrem haberet Iſraëlitidem, ex jure Ebræorum apud Maimonidem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

dem l. cit. atq; hoc unum obſtitit Agrippæ, *qvò minùs eum præficere fas eſſet, qvòd eſſet Proſelytus; neq; matrem haberet Iſraëlitidem*, apud eundem Magiſtrum in *Miſchn. tract.* c. 7. cur non multò magis hoc licuit Aſamonæis, utroq; Parente Judæis progenitis. Non jam referam qvorundam inſigniorum Patrum ſententiam, qvi communibûs ſuffragiîs tradunt Aſamonæos, ut materno ſaltem genere Judæos, iſti Tribui annumeratos regnâſſe usq; ad Meſſiam. Sic Epiphanius *l. I. adv. Hæreſes* p. 118. κατὰ διαδοχὴν, inqvit, διήρκεσε θρόνος Δαβὶδ ἕως αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, μὴ διαλειπόντων τῶν ἐξ Ἰούδα ἀρχόντων, &c. Sic Nicephorus *Hiſtor. Eccl.* l. I. c. 9. Principes dicit Judæos fuiſſe ἐκ φυλῆς Ἰούδα, ἄχρις οὗ Αὔγουστος Μόναρχος ἀπηγόρευτο. Cyrillus etiam *l. VIII. c. Julian.* dicit: *Tribum* Juda *& domum Davidis regnâſſe usq; ad Herodem Regem.* Certè hujus Cyrilli tanta fuit autoritas Montacutio, ut, qvoad Maccabæorum jus regnandi per lineam fœmininam ex Tribu Juda, illi acqvieſcat *Appar. 2. in Hiſt. Eccl. n. 29 ſeq.* Nobis autem cùm hoc non ità evidens ſit,

ut nonnulli autumant, litem eam noſtram facere nolumus. Suffecerit enim absq; ambagibus profiteri, qvòd non credamus Tribui Juda ſoli regnum à Patriarcha adſcribi, licèt huic præcipuè, tùm qvòd in illa longo tempore, & ante captivitatem, & poſt, ſceptrum absq; controverſia reſederit, tum qvòd illa Tribus inter tres ſocias, poſt ſchisma Jeroboami, reliqvis facem & titulum prætulerit; reliqvæ autem duæ Levi & Benjamin, minores & tenuiores, illi ut incrementum acceſſerint. Vel maximè notatu dignum, qvòd, cùm X Tribus diviſum à Juda Regnum conſtituerent, & remanerent ſub imperio filii Salomonis Tribus 3, Juda, Levi & Benjamin 2 Reg. XII.21.23. 2 Paral. XI. 12. 13. *una* tamen *Tribus* Roboamo *data* ſignificetur, idq; *ut eſſet lucerna Davidi ſervo DEI omnibus diebus coram DEO Hieroſolymis*, 1 Reg. XI.36. XII.20. Qvid hoc? niſi 3. iſtas Tribus in unam, ſub titulo Juda, coaluiſſe apertum eſt. De Levitis eqvidem notum, nunqvam eos à ſacris Hieroſolymitanis divelli potuiſſe. Et Benjaminitas qvid mirum Judæ adhæſiſſe,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

cùm communem habuerint, non religionem tantùm & politiam, ſed & urbem Metropolitanam. Qvis enim neſcit partem Jeroſolymorum ditioni Tribus Benjamin inſediſſe? Et qvis negabit ſub unius Trib9 Judah appellatione apud Prophetas poſteriores venire ſimul Levitas & Benjaminitas? Ut rectè dixerit Epiphanius l.cit. συναφθεισῶν τῶν δύο φυλῶν, τοῦ τε βασιλικοῦ καὶ ἱερατικοῦ, Ἰούδα δὴ φημὶ καὶ Ἀαρὼν, καὶ πάσης τῆς τοῦ Λευὶ, οὗτοι βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς ἐγένοντο. Idem ergo eſt, *non recedet ſceptrum à Juda*, qvòd *non recedet à Judæis*; neq; enim præter tres iſtas Tribus, qvæ in unam Rempublicam Judæ, poſt ſeceſſionem Samaritanam, convenerunt, alii ex Iſraëlitis dicti fuerunt Judæi; paucos ſi exceperis, qvi ex X Tribubus, religionis amore, patriîs ſedibûs relictîs, Jeroſolymis ſub Roboamo ſedem vitæ & fortunarum ſibi poſteriſq; elegerunt, ut indicatur 2. Chron. XI. 16. Falluntur, qvi cum Evſebio *Demonſt. Evang.* I. exiſtimant fuiſſe μιὰν μὲν καθόλου τὴν τοῦ Ἰούδα φυλὴν κατὰ τοῦ παντὸς ἔθνους ἐπιπεφημισμένην, ſive *unam qvidem tribum Juda toti genti illuſtre ſuum nomen impertiviſſe.*

ſe. Id enim de XII. Tribubus nimis fidenter aſſertum. Contrarium docet Cunæus de *R.H.L. I.c.* 8. (1.) ſc. non Imperium, non rempublic. Judæam de Judæ nomine dici cœpiſſe, niſi poſtqvam ſeceſſionem major pars Hieroboami auſpiciis feciſſet: (2) nec, poſt reditum à captivitate, omnium tribuum Abrahamidas appellatos fuiſſe Judæos. Iſraëlitas enim 10. Tribuum fluvium Euphratem, qvem ſemel ſub Salmanaſſare captivi tranſierant, poſtea coërcuiſſe. Qvæ cauſa eſt, qvòd Joſephus 2 tantum Ebræorum tribus (Leviticâ non computatâ) ad obſeqvium actas à Romanis dixerit. Verba Joſephi hæc ſunt *Antiqvit.* lib. XI. c. 5. ὁ δὲ πᾶς λαὸς τῶν Ἰσραηλιτῶν κατὰ χώραν ἔμεινε, διὸ καὶ δύο φυλὰς εἶναι συμβέβηκεν ἐπί τε τῆς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης Ῥωμαίοις ὑπακούουσας· αἱ δέκα φυλαὶ πέραν εἰσὶν Εὐφράτου ἕως δεῦρο, μυριάδες ἄπειροι, καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυνάμεναι, i. e. *reliqva verò omnis gens Iſraëlitica* (exceptîs Judæîs Benjaminitis & Levitis, qvi cum Ezra Hieroſolymas reverſi ſunt) *remanſerunt in loco ſuo; ideoq; duæ modò tribus in Aſia & Europa Romanis ſubjectæ fuerunt:*

N 2 *De-*

decem en. Tribus ad hoc usq; tempus trans Evphratem ſunt, qvarum infinitæ ſunt myriades, penè ut numerari non poſſint. Planè ut hinc evidens ſit, ſub nomine Judæorum ſolos Benjaminitas & Levitas comprehendi.

3. Qvamvis ex iis, qvæ hactenus dicta ſunt, ſatis manifeſtum evadere poſſit, qvòd in regimine Optimatum & Principum Aſamonæorũ Sceptrum Judæ reſiduũ fuerit usq; ad regnum Herodis: tamen ex abundanti hoc addimus ἐπικείρημα, ad compeſcendos eos, qvibus in re non admodum obſcura oculi mentis caligant. Vaticinium Jacobi tempus adventûs Meſſiæ deſignat per *ablationem Sceptri à Juda, & Legislatoris à medio pedum ejus.* Hæc autem vel in ſenſu conjuncto intelligenda, vel in ſenſu disjuncto. Si prius; utiq; tamdiu nec ultra ſupremi inter Judæos tribunalis ſive Synedrii poteſtas duratura erat, qvamdiu ſupereſſent è tribu Juda Principes, qvi populo cum Sceptro, i.e. ſumma Majeſtate, præeſſent. Si poſterius: utiq; ſublatîs Regibûs & Principibûs ex Tribu Juda, nondum tamen exſpectari debuit

Mes-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Meſſias, qvo tempore in Synedrio priſcæ Majeſtatis & ἀυτονομίας imago reſideret. Jam prius ſi eligunt, Vaticinium non reſpondebit eventui, qvod propter θεοπνευσίαν & conſtantiſſimam Scripturarum harmoniam non admittendum eſt. Poſterius verò ſi concedunt, jam habemus, qvod volumus. Poſitô enim, non conceſſô, Aſamonæîs regnantibus ablatum fuiſſe à Juda ſceptrum, at non defuit מחוקק *Legislator è medio pedum ejus* ante Meſſiæ adventum. In magno enim Synedrio usq; ad tempora Herodis, & amplius ad tempora paſſionis Chriſti perduravit: qvod nunc paucis demonſtrandum. Notabilis eſt ille locus Abrabanielis in Dan. fol. 22. col. 3. גם בבית שני בהיות שם מלכים מן חחשמונים ומבית הורודוס׳ תמיד היה בירושלים עם הסנהדרין נשיא מבית דויד ומהם היה הלל הזקן ושמען בנו i.e. *Etiam ſecundi Templi tempore, cùm ibi eſſent Reges ex Haſamonæis & ex familia Herodis, Jugiter fuit Hieroſolymis cum Synedrio Majore Princeps de domo Davidis; qvalis fuit Hillel Senex, filiusq; ejus Si-*

Simeon,&c. Omiſſis aliis,hic ſolummodò obſervamus,magnum illud Concilium, cui poteſtas ſumma judicandi & decernendi fuit,ſub adventum Chriſti in carne nondum ultimum vidiſſe diem: licèt circa id tempus variè labefactum ab Herode, & pòſt ab ejus ſucceſſoribus magis magisq; vexatũ, donec in ipſa Gentis & Ædis Hieroſolymitanæ πανολεθρία conciderct. Erant ſemper inter Judæos duo genera Judiciorum ſc. דיני ממונות *Judicia pecuniaria*, & דיני נפשות *judicia capitalia*; qvorum uti pars aliqva, qvoad minora & privata negocia, in aliis Synedrio ſubordinatis dicaſteriis (qvorum unum idemq; infimum dicebatur בית דין של שלשה *judicium trium virorum*, in portis habitum, alterum בית דין של עשרים ושלשה *Judicium viginti trium virorum*, ſecunda inſtantia erat) exercebatur: ità, qvæ de maximis rebus erant & ad Rempublicam pertinebant, non niſi in ſummo Synedrio tractabantur. Eò referendum illud apud Talmudiſtas receptum: *nulli judicio ſubeſt Sceptrum vel tribus, aut Pſeudopropheta, aut Sacerdos ſummus, niſi Synedrio LXX.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

LXX.virali:*Tract.Sanhedr.* c.1. Sicut & coram eo conſeſſu Chriſtus judicatus fuit,tanqvam qvi ſe Regem facere,& Pſeudopropheta eſſe putabatur. Vid. Matth. XXVI.59. Marc.XIV.55. Luc. XXII. 66. De qvalitatibus & numero Aſſeſſorum hujus Senatus ſuprà diſſeruimus: unde nunc oſtendendum, qvomodo à Judæis hic מחוקק ablatus ſit. Primum ei vulnus inflictum fuit ab Herode Aſcalonita,qvando hîc,narrante *Talmud* in *Bava Bathra*, omnes Synedrii Magiſtros, uno fortè alteroq́;(qvos Joſephus πολλίωνα καὶ σαμέαν nominat *Antiqvit*.l.XV.c.13.) exceptis, trucidavit, qvia noluerunt illum ut alienigenam agnoſcere,ut *Gloſſa Ibid.*Conf.Joſ. *Antiq.l.XV.c.*1. Qvô factum, ut,cum mox reſtauratum eſſet Concilium, in eorũ, qvi legitimi fuerant ejus Aſſeſſores,locum ſucceſſerint ſive Proſelyti, ut memorat Philo 2. *de temp.*(juréne an injuriâ? non hîc diſputo,licèt in *Tr. Sanhedr.* c.II. dicatur, *meruiſſe poſteros Jethronis*, Madianitas, *ut ſederent in conclavi cœſi lapidis*) ſive diſcipuli & aſſeclæ Hillelis & Schammai, qvos amavit Herodes, *beneſici-*

ficiorum memoria, ut habet Joſeph. *loc. cit.* & *Chron. Reg. Templ. Secund. fol.* 54. *col.* 2. Secunda hujus Concilii confuſio inde nata, qvòd Hieroſolymis toties migravit; qvod 40. ante templi excidium annis contigiſſe memoratur, *Aboda Zará c.* 1. *fol.* 8. & lib. *Sanhedr.* c. *hajou bodech.* Et qvidem primò migravit in חניות *Tabernas*, *inde Hieroſolymas*, *Hieroſolymis Jabnam, Jabnâ Ouſam, Ouſâ Schaphream, inde Bethſchearaim, hinc Tzipparim, tandē Tiberiadem: licèt, qvando videbant aliqvam neceſſitatem temporaneam* כשהיו רואין צורך שעה, *repetierit priorem locum ſuum* (הלשכה) *ibiq́; judicârit*, ut legitur in *Cod. Roſch haſſchana* fol. 31. Cauſa qvidem iſtius migrationis additur in *Aboda Zara* l. c. qvòd viderent Judices ità creſcere maleficia, ut judicandis iis non putarint ſe ſufficere. Sed ego veriorem cauſam puto qværendam in aſtutia Herodiadum, ſive Herodis M. ſucceſſorum, qvi, cùm viderent in conſeſſu Sanhedrin ſtabilitatem Reipublicæ Judaicæ multò maximè eſſe, diſſipandam ejus vim plura per oppida exiſtimârint, idq́; conſilio vel

juſſu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

juſſu Romanorum, qvorum ex voluntate regnabant. Sicut eadem arte Gabinius Syriæ Proconſul 56. ante N. Chr. annîs ad Rempublicam Jud. evertendam uſus fuerat, conſtitutis pari poteſtate 5. Synedriis Magnis, Gadaris, Amathunte, Hierichunte, Sephoris & Hieroſolymæ, qvæ ſic pars ſui & acceſſio facta fuerat. De qvibus Synedriis Cunæo *de Rep. Ebr. l. I. c.* 13. loqvi videtur Juſtinianus Imper. *in l.* 17. *C. de Jud. & Cæl.* cum canonem reqvirit *à Primatibus, qvi in utriusq; Paleſtinæ Synedriis dominabantur. Tertia* immiнutio Synedrii in eo cognoſcitur, qvòd præcipuam αὐτονομίας partem ſub Regno Herodum & præfectis Romanis amiſerit. Qvæ jactura, qvo primùm tempore cœperit, non ità liqvet; nec multum damus hac in re Talmudi Hieroſ., qvod contigiſſe eam 40. annis ante deſtructionem Templi 2. tradit *Tract. Sanhed. c. Dine Mammonoth.* Qvanqvam enim docente Livio *Lib.* 8. mos vetuſtus erat Romanis, cum qvo populo nec fœdere nec æqvis Legibus eſſet amicitia, non priùs imperio in eum tanqvam pacatum uti,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

qvàm omnia divina humanaq; dediſſet, obſides accepti, arma adempta, præſidia urbibus impoſita forent: tamen hoc non factum legitur Judæis, ſed potiùs contrarium. Tacitus *Hiſt. lib.* 5. de Judæis: *emto jure muniendi, ſtruxere muros tanqvam ad bellum*, & Cicero *Orat. pro Flacco, illa gens*, inqvit, *qvid de Imperio noſtro ſentiret, oſtendit armîs; qvàm chara Diis immortalibus eſſet, docuit, qvòd eſt victa, qvòd elocata, qvòd ſervata;* qvæ qvidem ſunt clara teſtimonia divinæ προνόιας pro aliqvali ſtatus Judæorum conſervatione, usq; ad adventum Meſſiæ, poſt qvem, vel ſub qvo Regni iſtius & politiæ finis futurus erat, juxta antiqviſſimum Jacobi vaticinium. Itaq; cùm de tempore imminutæ poteſtatis Synedrii præciſè non conſtat: ſaltem clara ejus veſtigia in ipſa Hiſtoria Chriſti monſtrabimus.

4. Memorat Johannes Evangeliſta, qvòd, qvo tempore Judæi Chriſtum, ut κακοποιὸν, Pilato Romanorum Præfecto damnandum obtuliſſent, Pilatus qvidem dixerit: λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτὸν, illi verò reſponderint:

ἡμῖν

ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα c. XVIII. 31. Hîc qvis non agnoſcit ex propria Judæorum confeſſione, jus vitæ & necis, ſive judiciorum capitalium דיני נפשות, in qvibus maximè αὐτονομία Synedrii conſiſtebat, ademptum fuiſſe. Noſter tamen B. Noldius in *Hiſt. Idum. p.* 195, non agnoſcit, hoc tempore *terminatum fuiſſe Synedrii jus criminale, qvod poſtea juſſum* Joh. *VIII.* 7. *XIIX.* 31. *qvin & uſurpatum Act. V.* 33. 40. *VI.* 12. *collat. cum. c. VII.* 58. 59. *& Judæis*, ait, *non licebat occidere*, *ut non ingredi prætorium*, hoc eſt, *propter feſtum Joh. XIIX.* 28. Sed, qvod pace dixerim iſtius Viri, Collegæ qvondam honoratiſſimi, non videtur percepiſſe vim verborum apud Johannem, neq; ex locis allegatis aliqvid rectè ad ſuam ſententiam concluſiſſe. Volebat enim Pilatus, videns innocentiam JEſu, & qvòd ex odio eum falſò accuſarent Judæi, eum dimittere virgis cæſum: cui omni conatu reluctabantur Judæi, clamantes crucifige. Ne ergo Romanus ille ἡμίτομος nullam gratiam obſtinatæ genti facere velle videretur, & ne tamen ipſe tam iniqvæ cædis Autor eſſet, hoc

fal-

ſaltem de ſuo jure largiri Judæis ſe diſſimulabat; *accipite vos eum*, ait, & *ſecundùm Legem veſtram eum judicate.* Næ vehementer fallitur, qvi hæc ex animi ſententia & feriò dixiſſe Pilatum credit. Certè c. XIX. 10. procul diſſimulatione ad Chriſtum loqvitur: οὐκ οἶδας ὅτι ἐξουσίαν ἔχω σταυρῶσαί σε, καὶ ἐξουσίαν ἔχω ἀπολῦσαί σε; Nec Chriſtus inficiatus eſt, eam ſummã poteſtatẽ per Pilatum à Romanis exerceri jure poſſe, ſed ejus tantùm originem monſtrat à DEo eſſe. Itaq; qvod dixit Pilatus, κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτὸν, inſultabundus & εἰρωνικῶς dixit. Neq; ſegniter hoc illapſum eſt auribus eorum, ſed mordaci dicto tacti reſpondent, ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα, qvaſi dicerent: *Tu ſcis nobis ademptum eſſe jus gladii, tuum igitur eſt, non noſtrum in eum capitali ſupplicio animadvertere.* Vid. Joſ. Scaligeri *not. in h. l.* Frivolum eſt qvod affert ὁ μακαρίτης, Judæis *non licuiſſe occidere*, qvô modo *non licuit iis ingredi prætorium* ſc. *propter feſtum* v. 28. qvamvis non primus ità ſenſerit, ſed ante eum è Patribus Cyrillus, Chryſoſtomus, Auguſtinus,

Gloſſa item *ordin.* Ramus de *rel.* Chriſt. p. 47. Carthuſianus, Baronius, alii. Qvanqvam Chryſoſtomus eam rationem tanqvam probabilem ſaltem poſtremô locô ponat: primam enim & potiſſimam agnoſcit, *qvòd Judæi parte maxima dominationis ſuæ fuerant privati, cum eſſet eorum Reſp. in Romanorum poteſtate.* Nos ſimpliciter reſpondemus, cauſam, cur Judæis non licuerit occidere, eam fuiſſe, qvam immediatè adjungit Scriptura: ἵνα ὁ λόγος τοῦ Ἰησοῦ πληρωθῇ, ὃν εἶπε σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν v. 32. Qvis ille λόγος fuerit, non convenit inter Interpretes. Qvidam illud Matth. XX. 19. reſpiciunt: παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσι εἰς τὸ ἐμπαῖξαι, καὶ μαστιγῶσαι καὶ σταυρῶσαι. Alii illud Joh. XII. 33. Κἀγὼ, ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτὸν: Τοῦτο δὲ ἔλεγε (ſubjungit Evangeliſta) σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν. Utrumq; qvadrat, in primis hoc, qvod per ὕψωσιν ἐκ τῆς γῆς, τήν σταύρωσιν notat, ipſo Chriſto explicante Joh. III. 14. Ex utroq; autem cognoſcitur, qvia σταύρωσις ſolis Romanis in uſu erat, qvi in obſcuros hominum, & in mancipia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

eo ſupplicii genere animadvertebant, conſeqvens fuiſſe, ut à Romanis damnaretur. Imò, qvia neceſſariò Chriſtus à Romanis Judæorum dominis damnandus fuit, conſeqvens eſt Synedrio ademta tum fuiſſe judicia capitalia. Adde, Judæos, ſi propter feſti venerationem iis non licuiſſet animadvertere in JEſum, at potuiſſe, ſi jus gladii ipſis integrum fuiſſet, differre ſangvinolenta conſilia ſua, eorumq́; executionem in aliud proximum tempus poſt feſtum, præſertim non urgente Pilato, ſed magis connivente & excuſante innocentiam JEſu. Sed non ampliùs habebant jus gladii, Judæâ à Romanis in provinciam redactâ; *non habemus*, inqviunt, *Regem niſi Cæſarem*, Joh. XIX. 15. Ademta iis erat poteſtas vindicandi capitalia ſcelera, qvalium qvidem Chriſtus falſiſſimè poſtulabatur, idq́; bienniô anteqvam Chriſtus crucifigeretur, vel annis 40. ante Templi deſtructionem, ut ait Beza *in Marc. XV.* 1. ſive, ut vult, & ex Rabbinis demonſtrat Druſius *annot. in* Joh. *XIX.* annis 91. ante caſum Hieroſolymorum. Sed qva veritate ſic tempus hujus imminuti-

nuti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

nutionis definiant, ipſi viderint. In contrarium adducitur (I) Hiſtoria Adulteræ ἐπαυτοφόρῳ deprehenſæ Joh. VIII. contra qvam, cum accuſationem vehementem inſtituerent Judæi, Chriſtus v. 7. ἀνακύψας εἶπε πρὸς αὐτοὺς, ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν, πρῶτος τὶν λίτον ἐπ᾽ αὐτῇ βαλέτω. Unde inferunt, capitale ſupplicium de facinoroſis ſumendi jus habuiſſe etiam tunc Judæos. Sed argumentatio hæc non procedit. Tantum enim abeſt, Chriſtus iis conceſſit facultatem adulteram occidendi; qvam noverat iis ut privatis non convenire: ut magis, ſub conditione, qvam præſtare non poterant, id prohibuerit. Qvippe cùm nemo accuſatorum erat ἀναμάρτητος, nemo ex conceſſione Chriſti eam occidere poterat. Nec ſeqvitur: E. ſi qvis fuiſſet ἀναμάρτητος, potuiſſet de jure eam occidere: non magis, qvàm ſeqvitur, qvia Jeſus Phariſæo roganti, qvid faceret, ut vitam æternam acciperet? reſponderit: τήρησον τὰς ἐντολὰς, & πώλησον σοῦ τὰ ὑπάρχοντα, καὶ δὸς πτωχοῖς, ideo, ſi Legis præcepta perfectè ſervaſſet, eum propter hanc obedientiam, habiturum fuiſſe vitam æternam. Conf. Luc. XVII. 10.

Qvid

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Qvid ergo? Chriſtus in caſu Adulteræ ità loqvens accuſatorum conſcientiam accuſat & Zelum impium damnat; ſicut ſcribit Greg. Nazianzenus *ad Cæſarium Epiſt.* 16. qvòd illi non poſſint aliorum accuſare peccata, qvi ipſi non habeant ἀφ᾽ ἑτέρας τὴν παῤῥησίαν, i. e. non poſſint confidere propriæ innocentiæ. Deinde non eſt vero abſimile, hos Adulteræ accuſatores ex jure Zelotarum protraxiſſe eam in judicium. Qvod jus antiqviſſimum fuiſſe videtur; ejusq; exempla à nonnullis Phinees Num. XXV. 7. Elias 1 Reg. XIX. 40. 2 Reg. I. 10. 12. adducuntur, & teſtimonia magnô numerô conqviſita leguntur in Seldeni *lib. IV. de jure Nat. & Gent.* c. 4. crediturq; hoc jure licuiſſe privatis *Zelum virtutis habentibus*, ut loqvitur Philo *de Monarch.* absq; proceſſu juris, etiam animadvertere morte in eos, qvos ἐπαυτοφώρῳ in crimine vel ſeditionis vel blasphemiæ, vel adulterii, vel alio gravi facinore deprehenderent. An jure divino id egerint iſti Zelotæ, primos ſi exceperis Phineazum & Eliam, & ſi qvi alii Divina peculiari autoritate ad id inſtructi erant, non

non noſtrum erit hîc diſpicere. Saltem de facto, qvaſi de jure, id ſibi poteſtatis arrogâſſe poſteriores in ea gente Zelotas, non dubium eſt. Teſtatur Joſephus Ἁλώσ. *Lib.IV.c.* 11. 12. infinita mala per eorum hominum licentiam, crudeliter uſurpatam, extitiſſe in Rep. tam Eccleſiaſticâ qvàm politica Judæorum: dum liberè in qvemvis hujus zeli prætextu graſſarentur. Ut verè dixerit Bonav. Corn. Bertramus in fine Libri *de polit. Jud. Sectam fuiſſe Zelotarum Judæis ipſis omnibus perniciociſſimam, ut qvæ Judæorum omnium excidium, totiusq; Reip. Judaicæ proſtrationem accelerârit.* Videntur autem Romani, reliqvâ omni ἀυτονομίᾳ, qvoad capitalia, Genti ablatâ, hos Zelotas per aliqvam conniventiam tolerâſſe, cùm hi non tam alienigenis, qvàm ſuis eſſent moleſti: ut tamen iſtorum hominum creſcens in dies audacia tandem & iram excitaverit Romanorum, & Urbi Temploq; exitium attulerit, ut docet Grotius *Annot. ad Act. VII. 57.* Datô igitur, qvòd Zelotæ fuerint, qvi Meretricem in crimine deprehenſam protraxerunt Joh. VIII. datô

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

item, qvòd Zelotæ debuerint eſſe ſancti inculpatiq; homines, ut tradunt Rabbini interq; eos, qvi longiſſimè à fabulis abeſt, Majmonides *Aboda Zara c.2.* utiq; multum jam lucis accedit Hiſtoriæ, & ratio patet, cur Chriſtus ἀναμαρτησίαν reqviſivit in Accuſatoribus, qvaſi, absq; ea qvalitate ſi eſſent, non poſſent ex jure zelotarum cum Adultera agere.

5. Qvod nobis objicitur ex Act. V. 33. Synedrium Hieroſolymit. de capitali ſupplició afficiendis Apoſtolis conſultâſſe; atq; poſtea verſ. 40. virgis eos cædi juſſiſſe; id verò moleſtum nobis non eſt, cùm advertimus non ſine cauſa poſitum ibi eſſe verbum ἀνελεῖν: cujus propria ſignificatio eſt, non ordinario judició & interveniente Magiſtratus ſententia ultimum ſupplicium de aliqvo ſumere, ſed per violentiam & latronum more per ſummum ſcelus aliqvem interficere, ut clarum eſt Act. XXIII. 21. 27. XXV. 3. qvæ eadem videtur eſſe invidia verbi ἀποκτείνειν Marc. XIV. 1. Act. II. 23. X. 39. XXIII. 12. 14. Qvicqvid ſit tamen de verbi ἀναιρεῖν ſignificato; non ſtatim Judæis, qvicqvid libuit

buit, licuit. Certè, cùm capitalia eis judicia non ultra jure competerent, nec in Apoſtolis qvicqvam eſſet, qvod Romanum Magiſtratum offenderet, ipſi eos è medio tollere, jurene an injuria, cogitabant, ſive publica vi ſive privatis inſidiis. In diſſvaſione Gamalielis non obſcura ſunt hujus rei documenta. Si enim qværis, qvid eum ad iſtam moderationem impulerit, ut in ſangvinis illo concilio Apoſtolis parcendum conſuleret, an amor Evangelii? minimè verò: nam ab eo Magiſtro & illum Judaismi fervorem & illam Phariſaismi ἀκρίβειαν olim hauſerat Paulus Act. XXII. 3. An ergo metus Romanorum, ne, ſi præter horum auctoritatem Apoſtolos innocentes tollerent, gravius aliqvid inde ſeqveretur? Id qvidem vero ſimile: eaq; de cauſa mentionem feciſſe videtur Theudæ & Judæ, qvi ſeditionum ante id tempus Autores à Romanis coërciti & diſſipati fuerant; vid. Joſeph. Antiq. l. XVII. c. 25. Origen. *cont. Celſ. lib. I.* At, inqvies, ſi ita eſt, cur Gamaliel non cenſuit appellandum eſſe Rom. Magiſtratum? Nempe, qvia nihil impatientiùs fere-

bant Judæi, qvàm Romanorum ſupremum in provincia dominiũ ita confirmari. Qvod verò ſeqvitur, Synedrii juſſu *eos cæſos fuiſſe*, ſive *flagellis* intelligendum, ſive *plagis* aliis, ut Paulus 2 Cor. XI. 25. id certè nullum indicium αὐτονομίας in Concilio ſuperſtitis. In conventibus ſ. Synagogis eorum, i.e. inter privatos parietes, hoc pœnæ ſumtum fuiſſe ab inviſis, conſtat ex Matth. X. 17. Qvanqvam tamen libenter concedimus, apprehenſionem facinoroſorum eorumq́; præparatoriam examinationem, imò & vindicationem ſcelerum non capitalem, v.g. conjectionem in carceres & cæſionem virgarum, conceſſam à Romanis usq; ad everſionem Templi ult. permanſiſſe Synedrio; ut patet h. l. & Act. XVI. 22. 2 Cor. XI. 25. utq; notant inter Pontificios Janſenius, Maldonatus, Salmero, Barradius & Conzen, & præterea ſummi viri Scaliger *Animadv. Euſeb.* f. 182. Caſaubonus Exercit. p. 601. 602. Beza *in Joh.* h. l. noſtriq́; Gerhardus *in Harm.* & Hemmingius *in Joh.* Qvò referendum illud, qvod, poſt amiſſa דיני נפשות ſ. *judicia capitalia*, manſiſſe aliqvo tempore

pore, & qvidem ad ætatem R. Sim. Ben Jochai, דיני ממונות ſ. judicia pecuniaria, tradunt Talmudiſtæ *tr. Aboda Sara c. Liphne* & alibi.

6. Sed gravius eſt, qvod de Stephano Proto-martyre nobis opponitur ex Act. VII.58.59. Hunc coram Synedrio Jud. accuſatum & extra urbem violenter abreptum, lapidibusq; obrutum fuiſſe qvod memoratur, totum id, qvod diximus de judiciis capitalibus ſublatis, peſſum dare videtur. Sed nullum periculum. Nam (1.) mores Zelotarum, qvos ſupra tetigi, in hac Stephani cæde conſpiciuntur. Unde non dubium eſt, absq; juris proceſſu, nulla Gentis capitali poteſtate, conniventibus ad malitiam Zelotarum, ſanctitatis zelô prætextam, Romanis lapidatum eſſe illum Eccleſiæ Proto-Martyrem. Ἀκούοντες δὲ ταῦτα διεπρίοντο ταῖς καρδίαις καὶ ἔβρυχον τοὺς ὀδόντας ἐπ᾽ αὐτὸν: v. 54. Qvæ indicia fuerunt inflammatorum zelô perverſô animorum, qvalem in damnatis flamma æterna excitare dicitur Math. VIII. 12. Deinde κράξαντες φωνῇ μεγάλῃ, συνέσχον τὰ ὦτα αὐτῶν καὶ ὥρμησαν ὁμοθυμαδὸν ἐπ᾽ αὐτὸν, καὶ ἐκβαλόντες

ἔξω τῆς πόλεως ἐλιθοβόλουν v. 57. 58. Qvis hic proceſſum legitimum, aut legitimi juris ordinatam executionem cogitabit, Stephanô non condemnato, nedum ſufficienter convicto ? Furiæ populares erant, & indomita vis Spiritus Zelotypiæ, nihil ex jure, ſed ex ſeditione & cæco impetu omnia agentis. Qvalem in hiſtoria Suſannæ apud 2. Seniores efferbuiſſe obſervat doctiſſimus Interpres Heſychius *in hunc Act. loc.* Qvalis & poſtea in nefaria cæde Jacobi Minoris Hieroſol. Epiſcopi & Apoſtoli ſe extulit, qvando ex Phariſaica ſecta valde immoderati Zelotæ Virum Dei ſanctiſſimum & de Judæis optimè meritum, de muro Templi dejectum & ſemianimem, ſaxis & fuſtibus trucidabant, impellente Summo Sacerdote Anania, diſſimulante ad factum Rom. præfecto Albino ; ſed non pœnas omnes differente. Qvippe non aliā ob cauſam dejecto Ananiæ, conſpirationis impiæ Principi, ſurrogatus in ſummo Sacerdotio fuit JEſus qvidam ; ut memorat Joſephus *Antiq. Jud. l.* 20. *c.* 8. Conf. Hegeſippi *Comm. l.* 5. *apud Euſebium l.* 2. *c.* 23. Certè, qvod Hiſtoriæ do-

docent, nunqvam deſitum apud Judæos recalcitrare adverſus ſtimulum; nunqvam rebellioni finis, priusqvam omnia eorum ſusq; deq; data eſſent. Impunè ſæpiùs iſta violentia Zelotarum fuit apud Præſides Romanos: qvibus non idem animus, non idem ſtudium conſervandæ Majeſtatis Romanæ in Judæa provincia. Alii non ſua referre putârunt, qvid antiqvâ, licèt planè depravata, conſvetudine agerent Zelotæ gentis, in homines contemptus Religionis accuſatos. Tali animo fuit Gallion Achaiæ præfectus Act. XVIII. 14. 15. Alii verò non ferentes ſceleratam gentis audaciam in optimos qvosvis, Zeli prætextu, graſſantem, tueri ſupremum jus Imperatoris, & tutari legum præſidiô innocentes maluerunt, frementibus licèt & valdè obſtrepentibus Senatus Judaici Rectoribus. Tales Felix ejusq; ſucceſſor Feſtus ob id in Actis laudati. De Felice enim Tertullus c. XXIV. 3. *Multa pace potiti per Te, & ea qvæ rectè feliciterq; in hac gente ex tua providentia geſta ſunt, prorſus & ubiq; agnoſcimus, præſtantiſſime Felix, cum omni gratiarem actione.*

Sub utroq; hoc Præſide accuſatus Paulus Apologiam ſuam edidit, aſſidente judicio Agrippa Rege : & qvia non agnoſcebat Primores Sacerdotùm Judæorum eſſe ſuos competentes Judices, præſertim ubi tot ſibi ab eis ſtrui reſidias didiciſſet, Romam appellavit, ut Cæſari ſiſteretur, qvod & factum. Neq; verò hoc impetrâſſet Paulus, ſi intra Judæam jura capitalia & αὐτονομία ἀνυπεύθυνος Judæis ſtetiſſent. Qvô vel unicô argumentô, qvod ſupra dictum eſt, confirmatur. Etiam *ad Jacobi condemnationem Præfecto Romano opus fuiſſe*, Noldius ex Joſeph, *l. XX. c.* 8. agnoſcit. Cur non in aliis cauſis capitalibus idem obtinuerit, ediſſerant οἱ ἐξ ἐναντίας; monſtrent, qvo tempore imminuta Concilii autoritas, aut, ſi non poterunt, fateantur, ideo ad mortem Judæos non potuiſſe condemnare qvenqvam, qvia id ipſis negatum à Romanis : qvòd verò de facto alios ad mortem abripuerunt, id per tumultum populi, & ex libertate Zelotarum, Romanis conniventibus, geſtum eſſe.

7. Et ſic, qvantum opus eſt, demonſtravimus, veniente in carnem Meſſia ablatam

à Judæis *Sceptri* Majeſtatem, imminutam qvoq; fuiſſe Legislatoris i. e. Synedrii M. poteſtatem; ut qvod, Chriſto in terris miniſtrante, reliqvum fuerit de republica Judaica, umbra fuerit, non verum corpus, reliqviæ rerum vix oſſibus hærentes, non ipſæ res. Qvod ſibi dictum putent οἱ inter Chriſtianos Ἰουδαΐζοντες & de vaticinii illuſtriſſimi complemento tam variè στρεβλοῦντες. Et Judæis ſatisfactum vellemus, ni ipſi ſibi, more ſuo, caliginem mendaciorum offunderent. Audent enim alii, ut R. Bechai & R. Moſ. Gerundenſis, hoc ſceptrum explicare de *jure dominii*, qvod erat penes Tribum Judah, etiamſi ſæpe ablatum ſit: unde concludunt, optimè etiam nunc exilii tempore, qvô jus illud non ceſſat, conſiſtere vaticinium. Sed ad hoc ſatis erit reſpondiſſe, non *de jure ſolo*, ſed de *facto & exercitio* exponere Paraphraſes. Certè מלוכה non tam jus *regni* qvàm *actum regnandi*, nec מליכין, שליטין, vel עבידי שולטן eos, qvi jure regnare debent, ſed qvi actu regnant & dominium exercent, ſignificare ipſi ſciunt. Audent & alii occinere, Sceptri dignitatem, qvæ

Davidi Regi primùm inter Judæos, ſic di-
ctos, contigerat, nondum ità penitus à ſua
gente ablatam eſſe, qvin adhuc ea alicubi
terrarum retineat imperium & jurisdictio-
nem, qvamvis exiguam. Cui rei ut fidem
faciant, multa narrant de ſtirpe Abravane-
lum, multa de alia qvadam ſtirpe *Bené-
David*, qvæ poſt Haſamonæos & Sanhe-
drin, Templiq; ſecundi deſtructionem, in
Hiſpanias Galliasq; migraverint, ibidemq;
captivitatis capita huc usq; exſtiterint;
uti poſt R. Jiskak Ben-Gviat ſomniat
Menas. Ben Iſrael *Concil. Qvæſt.* LXV.
§. 10. Sed hoc conceſſo, qvod utiq; fal-
ſum, nondum tamen evicerunt, iſtas Judæ-
orum per Gallias Hiſpaniasq; familias
principes ullo αὐτονομίας aut Majeſtatis
jure inſtructas eſſe; qvod utiq; proban-
dum erat, ſi ſceptrum nondum à Juda ab-
latum crederetur. Sed, qvia hoc com-
mentum nihil eis prodeſt, aliud fingunt de
Judæis Babylonienſibus in Civitate ſive
Provincia Bagdád, qvam dicunt ſedem
Calipharum Abaſidarum, commoranti-
bus. Ibi, ſi credere fas, magna Judæis
tranqvillitas & gloria ſub maximi Cali-
phæ

phæ Imperio, ibi X. Synedria, qvibus præfectus Daniel qvidem Hasdaides, qvi, *exulum caput* ראש גלות, ſive ארנ״נו *Dominus noſter* à ſuis appellitatus, Genealogiam ſuam inde à Davide deduxerit: de cujus item dominio, amplitudine & pompa, qvæ fabulantur, infinita ſunt. Mirari licet hominum iſtorum ingenia, qvi tam craſſis deliriis animos ad veritatem faſcinatos oblectant. Qvem enim teſtem invocant, & qvanti inter eos Doctores? Solum Benjaminem Tudelenſem hujus fabulæ Autorem nominat R. Ishaac Arama. Non ſolum, ſed cum eo Aben-Ezram adducit Abrabaniel in Zachar. XII. 7. & Gedalias Jahia in ſuo *Schalſcheleth haccabalá*. Et, ut nihil tam diſcors eſt qvàm mendacium, ita Ben-Ezra magnam ait eſſe familiam horum *Bene-David*; oculatus verò Teſtis Benjamin id negat, licèt hic de eadem familia planè magnifica narret: habere eam dominium in omnes Iſraëlitarum cœtus, ſub imperio Principis fidelium ſ. Muhammedanorum, i.e. Imperatoris Perſici, cujus mandato & ſigillô confecto firmatum id ſit ei dominium in omnes

Iſra-

Iſraëlitarum cœtus, qvi ſuis legibus tenentur. Hæc & alia, qvæ referre piget, in Benjaminis itinerario habentur. Qvæ ſi vera eſſent, ſtuperet orbis, Judæos per Europam palabundos non illuc jamdudum omnes confluxiſſe, ubi tanto honore, tranqvillitate, imò ſuis legibus vivere liceret. Si vera esſent, non tantùm qvæ de potentia Principis iſtius Judaici, ſed & de cultu ac officiis Muhammedanorum, de multitudine ſapientum ac divitum exhibet Tudelenſis; qvid esſet, qvod idem Abrabaniel in Eſ. LIII. 3. verba illa de Chriſto intelligenda: *contemtus & abjectus à Viris* &c. *Vir dolorum*, &c. *contemptus & non reputavimus Eum*, ad ſuam gentem torqveret, *eam* ajens *præ omnibus aliis contemni, hominib9 eximiis & præſtantibus deſtitui: ſingulas civitates & ſingula Regna eos expellere, adeò ut inter gentes non habitent.* Sic homines vafri in ſcena perſonam mutant. At iſte Benjamin, qvi in Syriam peregrinatus A. Chr. 1170. & inde Itinerariũ ſuum conſcripſiſſe creditur (vid. Buxtorphii *Tiber. c. VI. p.* 7.) ſingulis ferè paginis in illius temporis hiſtorias impingit. Credibilene

bilène eſt, qvo tempore Turcæ Perſide omni potiti erant, qvod factum ſeculo undecimo imputant Cedrenus & Curopalates, Judæorum in Perſide reliqvias eò potentiæ excreviſſe, ut, qvod de ſolis Rechabitis fabulatur, *nullius gentis imperio premerentur, ſed inſuper, ut ſpolia & prædam auferrent, remotas regiones adorirentur ipſos etiam vicinos Arabes, eosq; confæderatos.* Deinde de tribubus Rubenis, Gad, & Manaſſis, *Munitas civitates condidiſſe* ait, *& cum omnibus regnis bella gerere, nec ad eos accedere poſſe qvenqvam,* & mox, *decertare eos cum Meſopotamiæ incolis & regione Septentrionali.* Hiſce & aliis ejusmodi, qvæ riſum movent, ut qvòd *homines ibidem ſacco vel boum pellibus ſe includere* nugatur, plenum eſt totum illud itinerarium. Ut mirari liceat, qvî Schickardus hunc Benjaminem *peregrinatorem Judæum fide digniſſimum appellet*, præfatione *in Taarich* p. 28. Nos prædictis ſomniatoribus oculatiores opponimus Magiſtros, qvi majore ſimplicitate & ingenuitate ſuæ gentis nuditatem fatentur. Eqvidem Kimchius ad verba

Hoſ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Hoſ. III. 4. *Dies multos manebunt filii Iſraëlis absq; Rege & absq; Principe*, notat:
ואלה הם ימי הגלות שאנחנו בו היום ואין
לנו לא מלך ולא שר מישראל כי ברשות
הגוים אנחנו וברשות מלכיהם ושריהם:
i.e. *Hi ſunt dies exilii, in qvo hodie ſumus, nec Regem Principemve ex Iſraële habemus, ſed in poteſtate gentium ſumus, & in poteſtate Regum ac Principum ipſarum.* Poſt Kimchium qvoq; Abrabaniel ipſe ad Eſ. LIII. 8. de ſtatu Judæorum ſui temporis loqvens והוא, inqvit, שלא
היה בישראל מלכות ולא ממשלה ולא שבט
משפט ולא היה ביניהם יכולת להעמיד
משפטי התורה על תלם ולקיימם כמו
שהיה מקדם בהיותם בארצם i. e. *hoc in eo conſiſtit, qvòd non ſit in Iſraële Regnum, neq; dominium, neq; ſceptrum judicii: neq; ſit inter Judæos poteſtas judiciaria ſecundum Leges*, (aut conſtituendi judicia Legalia) *ſicut olim, cum erant in patria ſua.* Addimus Majmonidem, inſignem inter Judæos Doctorem & qvem minimè inter ſuos nugis deditum novimus, cujus in *Cod. Berachoth fol.* 58. verba

ſunt:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

ſunt: *Ab eo tempore, qvô è terra noſtra migravimus, non habemus occidendi poteſtatem*, ſive jus vitæ neciſq́;, qvod ſummæ eſt in Rep. Majeſtatis. Scimus tamen etiam Majmonidem eâ fabulâ delectari, licèt fateatur in *Hal. Sanhedrin*, דיני קנסות *judicia criminalia* à Babylonienſibus nusqvam terrarum exerceri potuiſſe. Aut itaq; neſcivit, qvænam eſſet ſceptri dignitas, aut nimis bene ſenſit de ſtramineis illis Proceribus, qvi ſe de gente Davidis eſſe gloriati ſunt. Sed qvid verbis opus eſt, ubi rerum teſtimonia adſunt? Næ ille rerum imperitus ſit oportet, qvi ſervilem hodie Judæorum conditionem, &, ut ut alicubi terrarum opibus florentem, at Chriſtianorum, Turcarum Gentiumq; aliarum Imperiis ad ultimos usq; Indos obnoxiam ignorat. Apud Turcas ſanè non aliter habentur, qvàm ut viliſſima capita, & abjectiſſimi mortalium, qvi nihil præclarum aut generoſum ſapiunt. Solent eos Turcæ, apud qvos Mangonum inſtar & mancipiorum ſunt, mordacibus convitiis impunè laceſſere, appellare *Tchefut*, & *Ghiddi Tchefut* جهودي جغوت i. e.

cor-

cornutos Judæos ; ſæpe nulla de cauſa obtortô collo abreptos in terram proſternere, & naſos eorum auresq; qvaſi per ludum premere : contra qvos ne hiſcere qvidem audent, hoc enim eſſet novam invitare injuriam & luſum in furorem vertere. De qva re prolixiùs Th. Smith. Anglus in *Epiſt. ad Joſ. Williamſ. de Mor. & Inſtit. Turcar. p.* 9. 10. Exceptio itaq; illa Judæorum, ficulneô ſubnixa teſtimonio Tudelenſis, nihil niſi Menippeum ſomnium: velut & illud, qvod de fluvio Sabbathico, diſcriminante regionem illam Scythicam ultra mare Caſpium, in qva X Tribus ſuo cum ſceptro reſideant, à regionibus aliàs cognitis, mirificè fabulantur apud Rambam in *Num. XI.* & Eliam *in Tisbi* voc. סמבטיון *Sambation.*

8. Finis hic eſſet, niſi illud nobis occurriſſet, qvod de Herodianis, qvorũ toties in N. T. mentio fit, creditum nonnullis Patribus, eos fuiſſe peculiarem inter Judæos Sectam Herodem M. pro Meſſia promiſſo accipientium; eò qvod illo Regni potito Judæorum Regum ac Principum ſucceſſio

ter-

terminata cognoſceretur. *Ità enim*, ait Theophylactus in *Comm. ad: Evang. exponebant Prophetiam Jacobi, qvando defecturi eſſent ex Juda Principes, tunc venturum Chriſtum; cùm autem Herodis temporibûs nullus usqvam eſſet Judaicus Princeps, ſed regnaret Herodes alienigena, opinati ſunt qvidam eum eſſe Chriſtum.* Sic Tertullianus qvoq; ſenſerat *lib. de Præſcript.* Epiphanius *hæc.* 20. & Hieronymus *Dial. adv. Lucifer.* cap. 8. qvanqvam idem Hieronymus *Comm. in Matth. XXII.* hanc opinionem retractet & pro ridicula explodat, cenſeatq; ità per ludibrium appellatos à Phariſæis, qvòd Romanis tributa ſolventes divinum cultum negligerent. Zonaras verò τοὺς τοῦ Ἡρώδου φρονοῦντας dixit. Contrà Caſaubonus probabile qvidem exiſtimat, pro Meſſia habitum Herodem, cultumq; fuiſſe Herodianis; abſurdiſſimum verò, eos Herodem, qvia alienigenam, habuiſſe pro Meſſia: ſupponit enim Herodianos fuiſſe Judæos, qvi utiqve ignorare non potuerunt, neq; ignorârunt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Meſſiam futurum Judæum ex tribu Juda & ſtirpe Davidica: cum etiam hodie in populo iſto divinitus occæcato vix qvisqvam ſit, qvi hoc neſciat. Unde concludit Vir celeberrimus, aut Herodianos non fuiſſe Judæos, aut Herodem non fuiſſe alienigenam. Nobis qvidem in hac re neq; ſeritur neq; metitur: præſertim cùm memorata Patrum ſententia & nullô fundamento ſubnixa videatur, & ab aliis antiqvæ Eccleſiæ Doctoribus non recepta ſit. Origenes conjectat Herodianos fuiſſe dictos, qvi dicebant oportere tributum dare Cæſari, *in Matth. tract.* 21. Chryſoſtomus *hom.* 71. *in Matth.* τοὺς Ἡρώδου στρατιώτας interpretatur. Ineptè verò Philaſtrius vult Herodianos in Evangelio dici eos, qvi Herodem ab Angelo percuſſum Act. XII. pro Meſſia agnoſcebant. Qvanqvam nihil obſtat, qvò minùs Græci eſſe potuerint ex aliqvo deſerto in Judæam invitati ab Herode, ut habet Baal Aruch, obſervante Druſiô, (Gentiles fuiſſe vult Auctor *Op. Imperf. in Matth. hom.* 42.) & ſic

ſic per ſe cadit Caſauboni concluſio. Et forſan illi mixtam ex Paganismo & Judaismo religionem conflaverant, ut putant alii, & Herodem, ſi non pro Meſſia, at pro ſuæ ſuperſtitionis Patrono ſummo ſuperſtitioſîs iſtîs ritibûs venerabantur, qvos perſtringit Perſius Sat. V.

- - - - At cum
Herodis venere dies, unctaq; feneſtrâ
Diſpoſitæ pingvem nebulam vomuére lucernæ
Portantes violas, rubrumq; amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino, &c.

Qvæ de feſtiva diei natalis Herodis celebratione exponit Vetus Interpres, & poſt eum ipſe. Caſaubonus *in Notis*. Qvicqvid ſit de tot opinionibus, nos litem hanc noſtram non facimus. In re autem obſcura, ſi qvicqvam amplecteremur, putaremus fuiſſe certum hominum genus, qvi præ cæteris Judæis inſigni in Herodem amore, ſive adulatione,

P 2 totos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

totos ſe ei emancipaverant, ad promovenda ejus commoda. Nam qvia, ut obſervat Hieronymus *loc.cit. in Matth.* Judæa erat provincia Romanorum, in feudum, ut Regi, conceſſa Herodi, qvi ſic obſtrictus erat Romanis ad procurandos provinciæ reditus, vel, ut ait Appianus Ἐμφυλίων *lib.* 5. precariò Regnum poſſidebat ἐπὶ φόροις τεταγμένοις: nullum iſti homines Herodi gratius præſtare potuerunt obſeqvium, qvàm in tributis iſtiusmodi tum corradendis, tum defendendis. Qvæ etiam cauſa videtur, qvòd, cùm Phariſæi inſidias ſtruere volebant Servatori, ſecum aſſumerent Herodianos, & qvæſtionem de tributis proponerent, an Cæſari danda eſſent? rati negaturũ Chriſtum, & ſic laqveîs ſuîs irretitum fore Matth. XXII. 15. 16. 17. Nec gratìs hoc ſervitium Herodi præſtitiſſe videntur, ſed ut eum ſuis inſtitutis faventem haberent. Qvænam verò ea fuerint, æqvè incertum? Sunt qvi Phariſæis addictos credant. Probabilius tamen feciſſe cum Sadducæis: qvippe, qvod apud Mat-

thæum

thæum c. XVI.6. *fermentum Sadducæorum* dicitur ; id apud Marcum c. VIII. 15. *Fermentum Herodis* ſ. Herodianorum. Qvia verò ſic Herodem omni cultu proſeqvebantur, dici potuerunt Herodis domeſtici ſ. aulici, דבית הרודס ut reddit Syrus ; qvalis fortè fuerit ille Chuſa ἐπίτροπος Ἡρώδου Luc. VIII. 3. & ille βασιλικὸς Joh. IV. 46. Vid. Chemnit. *Harmon.* c. 33. & Gerhard. *in Harm.* c. 154. Qvales item apud Romanos fuiſſe videntur ſodales Auguſtales, Flavii, Hadrianales, Æliani, Antonini, qvorum in Tacito , & tota Hiſtoria Auguſta, & ſaxorum inſcriptionibus freqvens mentio, ut commodè *loc. cit. Exercitation.* exiſtimat Caſaubonus.

9. Nunc itaq; manum , qvod ajunt, de tabula ; poſtqvam & adverſus Judæos luculenter evicimus, Meſſiam Patribus promiſſum jamdudum veniſſe , ex qvo Sceptrum & ſuprema Legislatoris ſ. Synedrii Magni poteſtas in ea gente defuit: & adverſus Chriſtianos nonnullos invictîs argumentîs demonſtravimus, illud

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

totius Scripturæ illuſtriſſimum vaticinium Gen. XLIX. 10. de auferendo ſceptro à Juda ſub tempore adventus Meſſiæ, in Herode Magno, primo inter Judæos Rege ἀλλοφύλῳ, complementum ſuum accepiſſe, planè uti prædixerat Jacobus. Sic DEus, (cujus promiſſiones in Chriſto fundatæ ſunt 2. Cor. I. 20. itaq; ordinatæ, ut per bona temporalia ducat homines ad ſpem & poſſeſſionem ſpiritualium,) Iſraëlitis & inprimis Judæis regnum promiſerat terreſtre & temporarium; ſervavitq; promiſſa, ut crederent promittenti cœleſtia, eademq; ſpe firmâ tum maximè amplecterentur, qvando viderent cætera eſſe caduca & fluxa. Pulcerrima in hanc rem eſt obſervatio Gregorii M. *Homil.* 32. *in Evangel. Iſraëlitico populo, ex Ægypti terra liberando, repromiſſionis terra promittitur; & cùm vocandus eſſet ad bona cœleſtia, terrenis promiſſionibus ſvadetur: cur hoc? ut, cum eſſet aliqvid qvod de vicinia perciperet, illud jam fideliùs crederet, qvod de longinqvo audire potuiſſet.*

Car-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Carnalis enim populus, ſi parva non acciperet, magna non crederet. Omnipotens ergo largiendô terrena, ſvadet ad cœleſtia; ut percipiens, qvod videret, ſperare diſceret, qvod minimè videbat: & tantò ſolidior de inviſibilibus fieret, qvantò eum ad ſpei certitudinem viſibilia promiſſa falcirent. Similiter fere Baſilius M. εἰ τὰ πρόσκαιρα τοιαῦτα, ποταπὰ τὰ αἰώνια, καὶ εἰ τὰ ὁρώμενα οὕτω καλὰ, ποταπὰ τὰ ἀόρατα. Nec aliter Judæi per promiſſionem & donationē ſceptri temporalis, tanqvam manu prehenſâ, ducebantur ad Regnum ſpirituale, cujus fructum & felicitatem tunc pleniſſimè deguſtaturi eſſent, cum iſtius temporalis ſplendor omnis dignitasq; concidiſſet: Regnum, qvod in ſecula non deſtruetur, & populo alieno non relinqvetur Dan. II. 44. Qvippe Meſſias, loqvente Mercero *in Gen. XLIX.* 10. *externam qvidem poteſtatem Regni & dominationis ablaturus erat, ne externis ultrà innīterentur Judæi, ſed in DEI præſidio ſalutem qværerent: verùm ſpiritualiter regnaturus erat ſine fine.* Noſtrum jam

 erit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

erit, qvi credimus in plenitudine temporis, à Scriptura definiti, veniſſe in terras Meſſiam, pauperem & humilem, ut nos ditaret & extolleret, firma fide ſanctaq; obedientiâ huic Schilo noſtro, pacis noſtræ felicitatisq; æternæ Autori unico ità adhærere, ut verè ſimus & maneamus ejus עמים *populi*, inter qvos ejus inveniatur יקהת, *fidelis obedientia*. Et, cùm non longè abeſſe ſciamus fatalem illam ultimamq; hujus mundi deſtructionem, cujus præcedentia ſigna dudum animis noſtris auribusq; increbuêre, terrena deſpicientes, ut jamjam interitura, inter has clades & hæc malorum undiq; ingruentium agmina, ſpe firma præparatæ nobis in cœlo βασιλείας αἰωνίου, ad monitum D. Jacobi Epiſt. c. V. 8. στηρίξωμεν τὰς καρδίας ἡμῶν, ὅτι ἡ παρουσία τοῦ Κυρίου ἤγγικεν. Inſtat brevì ille ſecundus, ille glorioſus, ille tremendus, ille παντοκρατικὸς Regis noſtri Meſſiæ adventus: eamus illi in occurſum, accendamus veræ fidei & caritatis oleô langventes cordium noſtrorum lampades, ut Sponſum excipiamus venientem

Matth.

Matth. XXV. &, *abnegatâ impietate mundanîsq́ cupiditatibûs, temperanter, & piè, & juſtè viventes in præſenti ſeculo, exſpectemus* τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ Tit. II. 12. 13. Qvod ut fiat, DEum intimîs votîs precamur, per filium ejus dilectiſſimum, Regem, Siloh, Soſpitatorem, Auguſtum, Redemtorem noſtrum. Amen! *Veni igitur, veni citò, Domine JESV.*

Amen!

FINIS.

ERRATA.

Pag. 3. lin. ult. pro *Prophetharum* lege *Prophetarum*. p. 10. l. 12. pro *ut ? docet* leg. ? *ut docet*. p. 31. l. 14. leg. *repræſentantem*. p. 35. l. 9. del. comma. l. 10. pro גדיל leg. גדול. p. 61. l. 18. pro *plurimi. am plexi* leg. *plurimi amplexi*. p. 63. l. 17. pro *Autor*. leg. *Ætat*. p. 65. l. 17. pro *Judaicum* leg. *Spirituale*. p. 83. l. 9. pro *nuncupatar* leg. *nuncupatur*, p. 87. l. penult. pro *ſignificaſſent* leg. *ſignificâſſet*. p. 104 l. 11. ad verb. *accenſeantur* add. *conf. Gen. XXVIII.* 14. p. 126. l. 5. pro *cauſum* leg. *cauſam*. p. 160. l. 17. pro *vel LXXII. unde Aſſeſſores LXX.* leg. *unde Aſſeſ. ſores LXX. vel LXXII.* p. 216. l. 6. pro *reſidias leg. inſidias*.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]

83.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 83 8° [1,-76]